Contenta.

Gregorius de Valentiâ de Præsentiâ Christi.
Fortunatus Gellius ꝯ d. librum.
Tossanus ꝯ Thyræum Jesuitam.

Disputationes Theologicæ.

De Secundis Nuptiis ꝯ Tertull.
Justificatione.
Libero hominis arbitrio.
dicto Christi: Pater major me est.
Canone S. Scripturæ.
Scrutanda S. Scripturâ et ejus sufficientia.
Peccato.
Authoritate S. Scripturæ.
Ubiqtate.

Huberus refutatus.
De Cœna Domini Kurtzer bericht.
Der Christliche Schwermer.
In funus Joh. Casimiri Palatini.
Von Reformation der Pfaltz.

Contenta.

Gregorius de Valentiâ de Præsentiâ Christi.
Fortunatus Gellius ꝯ d. librum.
Tossanus ꝯ Thyræum Jesuitam.

Disputationes Theologicæ.

De Secundis Nuptiis ꝯ Tertull.
Justificatione.
Libero hominis arbitrio.
dicto Christi: Pater major me est.
Canone S. Scripturæ.
Scrutanda S. Scripturâ et ejus sufficientia.
Peccato.
Authoritate S. Scripturæ.
Ubiqtate.

Huberus refutatus.
De Cœna Domini Kurtzer bericht.
Der Christliche Schwermer.
In funus Joh. Casimiri Palatini.
Von Reformation der Pfaltz.

Contra fundamenta duarum Sectarum,

VBIQVETARIAE ET SACRAMENTARIÆ,

PRO VERA CHRISTI PRÆSENTIA, NON VBIQVE, NEQVE IN COELO TANtùm, sed in cœlo, & in sanctissimo Sacramento, DISPVTATIO,

Autore

GREGORIO DE VALENTIA
SOCIETATIS IESV.

J. C. Caußenij D

INGOLSTADII, Ex Typographia Dauidis Sartorij.
Anno cIↃ. IↃ. XXCII.

Sum Kaeffmanj

REVERENDISSIMO ATQVE ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. MARTINO

EPISCOPO EYSTATENSI, GREGORIVS DE VALENTIA Societatis IESV, salutem & felicitatem à DEO Optimo Maximo precatur.

QVAM PROCVL A vera Christi cognitione absint Sectarij, vel hoc vnum, R.me atque Ill.me Praesul, argumento esse potest, quod nondum hactenus consequuti sunt, vt cognoscant vbi sit Christus. Nam cùm ille non nisi domi sua, hoc est, in Ecclesia Catholica inueniri possit; isti non nisi foris per varias errorum ambages ipsum (si tamen ipsum) quarunt: Vnde fit, vt inani labore se defatigent. Neque verò aliquid ad autoritatem peruersa opinionis, Sacramentaria vel Vbiquetaria, valere debet, quod vtriq; Sectarij ex diuina scriptura, atque adeò

ex Apostolorum vocibus locum se Christi didicisse pari pertinacia iactant. Praclarè enim à D. Gregorio Nazianzeno est scriptum: Allegare quidem hæreticos Apostolica, sed non Apostolicè intellecta. Quod vt in hac etiam quæstione, quæ est de Christi præsentia, demonstrarem, præcipua vtriusque Secta, Sacramentariæ & Vbiquetariæ, fundamenta confutanda suscepi; atque ita disputationem instituì, vt assertiones Aduersariorum, non nisi adhibito priùs examine, ac explicata sententia, quæ illorum inuolutis & obscuris verbis subesse posit, oppugnauerim. Nam cùm hæc differendi ratio ad futilitatem vanarum opinionum perspicuè dam accommodatißima sit, tum aliquo etiam vsu comperi, eam istis hominibus, quibus noster disputandi modus nequaquam gratus esse debet, maximè displicere. Habent enim illi artificiosi Grammatici, verba quandoque speciosa: sed cùm examen sententiæ instituitur, roganturq; quid & quomodo intelligant, satis ex eorum ineptis responsis, vel etiam ex ipso silentio apparet, illos doctrinæ suæ rationem reddere non posse. Exemplo sit illud, quod plausibiliter satis & exquisitè

Epist. 2. ad Cledonium cõtra Apollinarium.

ab eis

ab eis dicitur, Fidem scilicet manum esse, qua, licet charitate ac rectis operibus fulciri debeat; tamen ipsa sola gratiam diuinitus promissam capiat atque apprehendat. Certè nullum hîc sensum sub ea Metaphora latentem proferre possunt, qui vel absurdissimus non sit, vel non etiam in charitatem, aliosq; bonos motus conueniat, quos Aduersarij quoque, vt fulciatur in iustificatione fides, requirunt. Itaque cùm ad oculum (dicam enim ad Christi gloriam id quod est verissimum) disputatione, biennium abhinc contra eiusmodi fundamentum totius doctrinæ Sectariorum edita, demonstrauerim, eam istorum manum esse prorsus inanem; nemo tamen hactenus ex ipsorum grege prodiit, qui dogma illud explicare, & defendere auderet, quantumuis nominatim aliqui, quòd confiderem, non nisi absurdissima illos responsuros esse, fuerint à me penè rogati. Et tamen non ita factus est mutus meus Herbrandus, vt ea de re loqui, si quid habebat, non potuerit. Nam etsi nihil ex instituto contra me iam scripserit; in aliis tamen suis libellis, nuper non est veritus, calumnias contra me, nescio quas, obiter repetere; quas ita superio-

re anno dilui, vt vix mihi persuadere posſim, quin istum, etiam cùm responsionem meam legit, sui magnopere puduerit. Sed id aliàs. In hoc autem scripto, vtramque Sectam, Vbiquetariam & Sacramentariam, non ideo solùm refellendam simul suscepi, quòd vtriusque confutatio, ad asserendam Ecclesiæ doctrinam de Christi præsentia pertinet; sed ob eam rem etiam, vt clariùs intelligatur, quàm sit contra nos iniqua calumnia Vbiquetariorum, qui Sacramentarios admodum sanè leuiter, nec minùs etiam incredibiliter, faciunt nos, propterea quòd cum ipsis non consentimus. Quasi verò nullo modo possemus ab vno extremo errore Vbiquetario recedere, quin ad extremum alterum Sacramentarium delaberemur; neq; vlla sit Ecclesiæ Christi doctrina media, in qua posßit ac debeat tutò consisti. Bene autem habet, quòd ne ipsi quidem Sacramentarij aquo animo ferre possunt, nobis irrogari hanc iniuriam. Quod enim ipse quoq; futurum esse planè cogitâram, minimè defuit ex Sacramentariis, qui libro nuper edito redargueret Iacobi Schroppij vanitatem, quòd in commentitio illo suo Concilio Oecumenico, sic mihi

partes

partes Catholicorum dederit, vt per me scilicet suadere conatus sit rem, quam nemo erat creditu-rus; nempe Ecclesiam Catholicam Romanam suis in canonibus & decretis idem planè, quod Sacramentarios, sentire, negareq; in sanctissimo Sacramento Christi præsentiam. Et mirum est certè, si vigilans Schroppius existimauit, sibi quemquã in eo figmento fuisse assensurum. Quod ad me quidem attinet, adeò videre non potui, quid iste tam leui ratione nocere Catholicorum caussæ potuerit, vt gratias propemodum à me illi pluribus verbis esse agendas putâssem, quòd in illo cõsessu Oecumenico, clarissimè ita quasi consilium suum & collegarum prodiderit; calumniis etiam improbabilibus contra nos pugnandi, cùm se videant, aliis iam armis destitutos esse. Sed Schroppium modò relinquo. Tibi autem, Princeps Illustrissime, scriptum hoc meum dedico, vt, quod facere propter singularem tuam in omni genere præstantiam & erga me voluntatem iampridem cupiui, indicium ea ratione dem aliquod obseruãtiæ, qua C.nem Tuam prosequor. Nec verò ignoro, exiguum hoc esse officium; præsertim si cum eximia dignitate tua, Præsul amplissime,

& cum

& cum egregiis tuis etiam in Ecclesiam Christi, ac in Societatem nostram meritis, comparetur: sed cùm simus Cels. Tuæ obstrictissimi, existimamus omnia nostra, seu magna seu parua tibi deberi. Dominus Deus C.nem T. ad Ecclesiæ suæ vtilitatem, quàm diutissimè seruet incolumem.

Datum Ingolstadij 22. Maij,

Anno Domini

M. D. LXXXII.

CONTRA FVNDAMENTA DVARVM SECTARVM, VBIQVETARIÆ ET SACRAMENTARIÆ, PRO VERA CHRISTI PRAESENTIA, &c.

QVæstio est non tantùm inter Catholicos & Sectarios, sed multò etiam maximè inter Sectarios ipsos controuersa, vbi præsens existat IESVS Christus Dominus noster vt homo? Qui Sacramentarij Hæretici vulgò vocantur, in cœlis tantùm ipsum adesse contendunt: Contrà Vbiquetarij horum hostes adesse vbique. Ecclesiæ Christi verissima inuictaque confessio inter hos extremos errores media est. Sentit enim neque in cœlis tantùm, neque verò vbique, sed in cœlis & in diuinissimo Sacramento Dominum nostrum IESVM Christum adesse humanitate sua præsentem.

Cùm sint verò Sacramentarij & Vbiquetarij pernicioſissimis his opinionibus tam dissidentes: vtrique tamen in vnione hypostatica duarum naturarum, diuinæ & humanæ, quibus constat Christus, potissimum causæ suæ præsidium quærunt. Nam[a] Vbiquetarij sic argumentantur: Natura humana in Christo cum natura diuina hoc ipso est vnita, quòd ei est omnis plenitudo diuinitatis ita communicata, vt ad parem sit præstantiam & maiestatem euecta cum DEO: Adest igitur Christi humanitas præsens item ea maiestate vbique, non minùs quàm diuinitas. [b] Sacramentarij verò isto modo: Natura humana sic diuino verbo hypostaticè vnita est, vt nihilominus ex vero corpore constet, verique adeò corporis proprietates & naturalia attributa retineat: Igitur vt cætera omnia corpora sic etiam corpus Christi vno aliquo in loco contentum est, neque extra illum vsquā

a *Cùm alibi passim, tum in libro Concordiæ, & in repetitione postrema VVitenbergica, edita anno* 1580.

b *Caluinus lib. 4. Instit. cap* 17. *Tigurini in Apologia contra Schmidelinum. Beza contra eundem. & alij passim.*

est vllo modo præsens. Cumque constet Christum ad dexteram Dei in cœlo consedisse, ibi tantùm nunc erit, neque vlla Christi verba sic intelligi debebunt tanquàm sit alibi etiam præsens.

Nobis hac in disputatione propositum est, vtrumq; fundamentum euertere, monstrareque, Vbiquetarios quia falsum in argumentando sumunt, Sacramentarios autem quia peruersè colligunt, æquè versari in errore. Ac primum sanè locum, si non omnem vt postulant, Vbiquetariis in hac disceptatione concedemus.

CONTRA FVNDAMENTVM VBIQVETARIORVM

PARS PRIMA.

Qua sit sententia Vbiquetariorũ, de vnione hypostatica.

ASSEVERANT isti, humanam naturam diuino verbo hypostaticè vnitam esse hoc ipso quòd omnis plenitudo & energia diuinitatis Verbi sic illi est realiter cõmunicata, & ita in eam transfusa, vt Christus etiam secundùm humanitatem, atq; adeò quatenus homo verissimè dicatur & sit, primò subsistentia, seu persona diuini Verbi, secundò Deus, tertiò omnipotens, infinitus, æternus, vbique præsens &c. quartò mundi rector & conseruator &c. Nam ista quatuor asserunt fuisse sic in humanam naturam transfusa: nempe diuinam personam, diuinam naturam, diuina attributa omnia, diuinas operationes.

Vide perissimum repetit. Wittemb.

Hinc docent, vnionem hypostaticam à posteriori posse describi vt sit communicatio realis, & κοινωνία, vt loquuntur, idiomatum diuinæ naturæ cum Christo homine, iuxta quam illa quatuor, quæ numerauimus, verè affirmentur de ipso etiam secundùm humanitatem. Hoc volunt cùm aiunt,

niunt, à subiecto earum enunciationum, quibus illa diuina de homine Christo affirmantur, minimè debere excludi humanitatem. Itaque cum demonstrato Christo dicimus, Hic homo est persona diuina; vel, Hic homo est Deus, omnipotens, æternus, infinitus, vbique præsens &c. negant, sensum tantummodò debere esse, Persona hæc, quæ sustentat humanam naturam, est diuina persona, Deus, omnipotens, vbique præsens &c. Hoc enim, inquiunt, est hæreticissimè dictum. Sed volunt sensum esse, quòd persona Christi etiam secundùm assumptam humanitatem verè & realiter sit & dicatur esse omnia ista.

Deinde hanc eorum esse mentem atque sententiam illud item declarat quod vbiq; inculcāt, humanitatem Christi per hanc vnionem & communicationem cum diuinis exaltatam esse, ad æqualitatem maiestatis, gloriæ, & potentiæ cum diuino Verbo. ita vt non modò illa humanitas iam sit potens, sed, vt[c] inquiunt, etiam omnipotens.

c *In propos.* 234. *Repetitionis VVittemb item prop.* 296.

Porrò quamuis concedant, per vnionem hanc hypostaticam vicissim quoque humanam naturam, & quæ ipsi conueniunt, sic esse realiter communicata diuinæ naturæ, vt à subiecto similiter harum enunciationum, Deus est homo, natus, passus, crucifixus &c. nō debeat excludi diuinitas; aiūt tamen non eodem modo hæc humana esse communicata diuinitati, quo sunt humanitati cōmunicata diuina. Quoniā, inquiunt, Diuinitas (non excludunt hîc personam Verbi) humanitatem assumpsit, & perfecit: Humanitas verò neque assumpsit Diuinitatem neque illi adeò communicauit quidquam vel perfectionis vel infirmitatis. In quo autem omnino consistat diuersus iste modus quo humana sunt per vnionem cōmunicata diuinæ naturæ, non vlteriùs declarāt; sed verbis tantùm vbique repetunt, diuinitatem non fuisse

in illa vnione factam infirmam, quippe cùm humanitatem ipsa perfecerit, nihil autem acceperit ab eadem.

Refugia Vbiquetariorum duo præcipua.

Atque hactenus ea fideliter exposui, quibus proponunt isti & explicant simpliciter assertionem suam. Præterea verò vt argumenta, quibus oppugnãtur, refellant, varia diuerticula quærũt, & multa philosophantur ac notãt: ex quibus duo præcipua sunt, quibus maximè ad omnem impetũ sustinendũ nituntur. VNVM est, realẽ illam cõmunicationem diuinorum cum humanitate assumpta nequaquam esse (vt dicunt) essentialẽ; id est, nõ ita illa de humanitate siue de Christo secundùm humanitatẽ affirmari, quomodo affirmãtur de diuinitate: quasi humanitas etiam per suã essentiam sit & dicatur esse illa. Sed neque communicationem illam esse physicam aut subiectiuam, vt loquuntur; hoc est, non ita illa diuina de humanitate vel de Christo secundùm humanitatem affirmari, quasi in ipsa insint tanquàm accidentia in subiecto. Quin imò dicunt illa diuina nunquam egredi (sic enim loquuntur) limites sui subiecti, nempe diuini verbi. Quare notant, cõmunicationem illam, atq; adeò affirmationem diuinorum de Christo secundùm humanitatem, cuiusdam esse singularis atque arcani modi, quem hypostaticum siue personalem nominant. Hinc etiam videntur sibi satis explicare, quemadmodum huiuscemodi realis cõmunicatio non tollat distinctionẽ duarum naturarum & proprietatum vtriusque. Physicè namq; & per se concedunt humanitatem assumptam manere infirmam, certo loco circũscriptam, & deniq; retinere omnia sua, quibus à natura diuina tum essentiæ ratione tum proprietatibus suis longè multũq; differt: tametsi diuina quoq; ipsi cõpetũt alio quodam & arcano modo, nempe cõmunicatione hypostatica & personali. Discrimen enim esse obseruandum, cùm hæc diuina tribuuntur diuinitati & humanitati. Nam Diuinitas

est

est attributa illa diuina, existendo vtique ipsa; quoniam, vt dictum est, essentialiter & per se est illa: Humanitas autem non existendo, sed habendo illa eadem. quoniam non essentialiter sed per communicationem ipsi competunt; sic tamen vt arcano modo verè nihilominus Christus non tantùm ratione suæ personæ, sed etiam secundùm humanitatem sit & affirmetur esse illa diuina, nempe DEVS, omnipotens, vbiq; præsens, &c. ALTERVM istorum perfugium est, communicationem istiusmodi personalem eiusque modum, cùm sit prorsus ineffabilis, neq; ratione humana indagandum curiosius esse, neq; verò reiici debere propter vlla argumenta humanæ rationis.

Hæc illa doctrina est, quam ex Lutheri & Brentij scriptis in lucem protulit præcipuè Schmidelinus: quamque istius factionis homines non ita pridem in libro Concordiæ proposuerunt, ipseque Schmidelinus nuper post eum librum editum propugnauit VVittembergæ. Hoc commentum, quod ita, vt dictum est, explicant & defendunt, multis porrò, sed ineptis ac futilibus admodum argumentis confirmant: ad quæ respondebo posteaquàm ipsam opinionis vanitatem refutauero.

Sed & antequàm refutem, indicandum est illud, quod in hoc doctrinæ commento nobis propriè improbatur. Nam neque Scholastici Doctores, neque nos negamus absolutè & simpliciter, plenitudinem diuinitatis verbi diuini fuisse realiter assumptæ naturæ communicatam; vt iniquè calumniatur Schmidelinus. Neque quod isti affirmant, reipsa communicatum esse illi naturæ quidquid omnino habet verbum, nos ita reiicimus, quasi nequeat ei modo loquendi aliqua vera sententia subiici. Agnoscimus enim & subsistētiam & etiam diuinitatem atq; perfectionem omnem verbi naturæ humanæ communicatam esse vno quodam mo-

In Repet. pag. 277. & 278.

Quomodo dici possit, plenitudinem diuinitatis realiter communicatā esse assumptæ naturæ.

do maximè reali; vt scilicet in persona Verbi subsistat, primariò quidem per ipsam Verbi subsistentiam siue personalitatem, secundariò autem per diuinitatem etiam & perfectiones eius, quæ ab ea subsistentia re non differunt. Hanc enim vim habet & ita intelligitur id, quod orthodoxi Doctores aiunt à diuinitate quoque ipsa fuisse naturam humanam assumptam. Sed in ea nimirum re turpissimè sunt hallucinati Aduersarij quòd plenitudinem diuinitatis cõmunicari realiter assumptæ naturæ non cogitârunt nisi assumpta natura per eam communicationem acceperit vt sit & affirmetur esse illa plenitudo diuinitatis. Qui error est sanè maximus. Communicatur enim etiam plenitudo diuinitatis ac energia Verbi assumptæ naturæ, si ei attribuitur atq; datur non vt sit illa, sed vt subsistat, modo quo dictum est, per illam. Nam si per illam subsistit completurq; vt ita dicam hypostaticè; habet vtique tanquam sui quoddam substantiale complementum illam: cumque illam per se & ex se aut naturaliter non habeat; habet communicatione atque dono.

August. lib. 7. de Trinit. cap. 7. & 11. Hieronym. de Symbolo fid. ad Damas. Damasc. lib. 3. fid. orthod. cap. 6. ex D. Athana. & Cyrillo, &c.

Nõ negãt Scholastici omnem communicationem realem.

Perspicuum itaque est, Scholasticos atque orthodoxos Doctores non absolutè negare quin verbi energia & plenitudo diuinitatis realiter sit assumptæ naturæ communicata. Imò verò affirmant idipsum cùm docent, infinitum beneficium ac munus in humanam naturam esse collatum quòd ad eam sit eucta dignitatem, vt subsistat in persona diuina. Atque ideo id donum vocant gratiam vnionis, quia scilicet gratis est assumptæ naturæ donatum ipsum ESSE diuinum, licet non vt sit illud, sed vt per illud subsistat. Qua de re contra istorum calumniam satis erit ex D. Thoma, Scholasticorum omnium eruditissimo, testimonium proferre. Gratia, inquit, vnionis est ipsum ESSE personale, quod gratis DATVR humanæ naturæ in pſona Verbi.

3. p. q. 6. ar. 6.

Item

Item declarans locum illum Ioannis: Non enim ad mensuram dat DEVS spiritum filio,&c; Alio, inquit, modo potest hoc referri ad donum quod DATVM est humanæ naturæ, vt vniatur diuinæ naturæ. quod est etiam DONVM INFINITVM. Vbi & hanc interpretationem confirmat ex Glossa ordinaria super illum locum, in qua dicitur: Sicut Pater plenum & perfectum genuit Verbum ita plenum & perfectum est vnitum humanæ naturæ. Quibus verbis satis ostenditur ipsum ESSE diuinum sine mensura, id est, cum tota plenitudine diuinitatis Verbi, fuisse donatum assumptę naturę; quanquam non vt ipsa vllo modo sit illud, sed (quod sæpe repetendum est) vt subsistat per illud. *Ioan. 3.* *Eodem lib q. 7. art. 11. ad 1.*

Et sanè, si per enunciationes illas: Christus secundùm humanitatem est persona diuina, DEVS, omnipotens &c. non aliud quis intelligeret quàm Christum secundùm humanitatem esse id quod habet sibi communicatam subsistentiam siue personalitatem diuinam & plenitudinem diuinitatis, non vt secundùm humanitatem sit hæc diuina, sed vt secundùm humanitatem per hæc diuina subsistat; is verbis quidem & oratione ineptè & temerè & contra receptas loquendi & significandi regulas abuteretur; quod verò ad rem & sententiam attinet quam ipse tunc intelligeret, non à vero aberraret, Verum enim, vt ostendimus, est, humanitatem Christi habere illa diuina, non vt illa sit, sed vt per illa subsistat, atque eatenus hæc ipsi esse realiter communicata. Sed non id tantum volunt nostri Sectarij. Non, inquam, in vsurpandis illis enunciationibus temerarij solùm propter ineptum sermonem de re graui sunt: verùm etiam propter sententiam, quam eis loquutionibus subiiciunt, existimantur ab Ecclesia Catholica hæretici. Omnino enim aliqui dam plus significare volunt quàm illud, quod nos etiam,

Vbique tariorũ errorem non tantùm esse in modo loquendi: sed in re atque sententia etiã.

Id ostenditur aliquot argumentis.

etiam, vt ostensum est, vltrò docemus. Cuius rei multa & clara sunt indicia.

1. Nam primùm, cùm ignorare minimè possint, concedi à nobis, plenitudinem diuinitatis siue energiam verbi esse eatenus assumptæ naturæ datam & communicatam realiter, vt hypostaticè per eam subsistat; nihilominus tamen de reali nescio qua communicatione nobiscum deinde disputãt, contenduntque vehementer naturam humanam non hoc propriè vnitam esse verbo, quòd per illud subsistat, sed quia in illam sit tota plenitudo diuinitatis realiter trãsfusa, &c.

2. Deinde, si, cùm affirmant, Christum secundùm humanitatem esse DEVM, omnipotẽtem, præsentem vbique, &c. aliud non intelligerent, quàm quòd Christus secundùm humanitatem habeat plenitudinem diuinitatis & energiam verbi, vt per illam subsistat atque adeò quasi perficiatur extrinsecè: quo tunc obsecro colore probabilitatis inde possent colligere illud, quod inprimis volũt? nempe Christum secundùm humanitatem etiam esse præsentem vbique habereq; maiestatem cum verbo diuino æqualem. Ita enim vbiquitatem diuinam siue omnipræsentiam humanitas Christi haberet, non vt ipsa esset vbique præsens, sed vt per eam perfectionem, quatenus re ipsa pertinet ad energiam & plenitudinem diuinitatis verbi, subsisteret, eatenusq; ab ea perficeretur. Et quemadmodum Christi humanitas omnipræsentiam diuinam sic non habet nisi ratione subsistentiæ & diuinitatis VERBI, ad cuius plenitudinẽ pertinet: ita minimè inde sequeretur, Christum per ipsam etiam humanitatem esse vbique, sed tantùm per diuinitatem. Quod & ex aliorum attributorum ratione confirmari perspicuè potest. Nam quia Christi humanitas diuinam infinitatẽ æternitatemq; non habet, vt ipsa in se sit infinita & æterna, sed vt per eas perfectiones, quatenus re sunt idem cum verbo, subsistat:

Si loquẽdi modum Vbiquetariorũ de Vniue, sensum aliquis verum haberet, ne secundum apparentiam quidem possent inde colligere Vbiquitatem.

sistat: item quia ne sic quidem eas perfectiones habet nisi ratione subsistētiæ verbi, & diuinitatis, cuius sunt attributa: ob eam rem fit vt Christus secundùm diuinitatem duntaxat, non autem secundùm ipsam etiam humanitatē sit æternus & infinitus. Eandem ob causam neque sensus ille verborum istis esset vllo modo satis, vt humanitatem absolutè dicerēt ad æqualitatem maiestatis cum Verbo euectā esse. Ita enim maiestatē Verbi habet, non nisi vt per ipsam quasi extrinsecè perficiatur secundùm subsistentiam hypostaticā. Ex quo minimè sequitur vt ipsa humanitas sit æqualis aut eiusdem cum Verbo maiestatis. Quemadmodū, quia cùm dicimus, corpus est animatum; sensus non est, corpus esse, sed habere animam eiusq; energiam, à qua perficiatur: minimè licet ex ea recolligere, corpus esse æqualis perfectionis cum anima.

Deniq; non illud solum istos velle, ipsorum confessione manifestū est. Dissertis enim verbis Schmidelinus ex sua atq; ex Lutheri sententia ponit, propositionibus istis; Hic homo, demonstrato Christo, est Deus, omnipotens creator &c; significari quòd Deus & homo sint VNVM & IDEM, & quidem in eo sensu quo à Scholasticis Doctoribus id negetur, nempe formaliter, id est, secundùm formas significatas per subiectum & prædicatum eiusmodi propositionum. Atque ob id etiam sæpe inculcāt & repetunt, Christum secundùm humanitatem non alia omnipræsentia aut omnipotentia, sed eadem ipsa omnipræsentia & omnipotentia diuina vbiq; præsentem & omnipotentem esse, &c. *In Repet. Witt. prop. 42 &c.*

Sentiunt igitur totam plenitudinem diuinitatis Verbi sic esse realiter communicatam naturæ assumptæ, vt propositiones illæ Christus homo est Deus, omnipotens, &c. identicè quoque (vt in Scholis loquimur) quamuis non nisi arcano & ineffabili modo, quem hypostaticum vocant, sint veræ, etiam secundùm significatas formas per prædica-

tum & subiectum. Quare cùm dicunt, hominem Christum esseſe cundùm humanitatem illa diuina non existendo sed habendo ipsa: Item naturam assumptam non esse aut fieri naturam diuinam, sed manere & constare vtriusque naturæ proprietatem ac differentiam saluam: Cùm, inquam, hæc notant, suæque sententiæ hisatque similibus modis cauent; nisi secum ipsi manifestè pugnent, tantùm prohibere volunt, ne Christus secundùm humanitatem assumptam esse intelligatur illa diuina aut essentialiter sicut DEVS est illa; aut physicè seu subiectiuè, quasi in humanitate insint illa diuina tanquam accidentia in subiecto; aut denique modo aliquo naturaliter intelligibili. Quin sit autem CHRISTVS secundùm humanitatem vnum quiddam & IDEM cum illis diuinis arcano aliquo & ineffabili modo, non negant: imò fateri eos apparet, vt demõstrauimus tum ex ipsorum disputationis Scopo, & contentione nobiscũ, tum ex his quæ scribunt ipsi apertè. Neque verò vnitate hîc aut identitate tantùm compositionis eiusdem personæ, quam Scholastici etiam asserunt, contenti sunt: sed aliã nescio quam vnitatẽ omnino & identitatem arcanam & ineffabilem inter hęc humana & diuina, sicut ostensum est, cõminiscuntur.

Ergo quod isti de cõmunicatione reali plenitudinis diuinitatis Verbi, & vsu enunciationũ, quibus diuina de Christo affirmantur, dicunt; id propter sententiam absurdam, quam vocabulo cõmunicationis & affirmationis eiusmodi subiiciunt, reiici debet à nobis. Ne autem doctrinæ commentum & falsum & valde obscurum ipse obscurè refellam; modo & verbis in argumentando contra vanitatem hanc vtar, quæ sunt & argumentantium vsu trita, & ad argumentandum maximè accommodata. Sic igitur rationem primam concludo;

I. Fal-

I. Falsum & hæreticum est dogma illud, quod modum vnionis duarum Christi naturarum ponit pugnantem cum hac fidei confessione edita in Calcedonensi Concilio: Credimus IESVM CHRISTVM Dominum vnigenitum in duabus naturis inconfusibiliter, inconuertibiliter, indiuisibiliter, inseparabiliter agnoscēdum: NVLLA naturarum differētia sublata PROPTER vnionem, sed salua MAGIS vtriusque naturæ proprietate.

Concil. Calced. act. 5. in 2. confess. fid. Repetitur ex Nizeno I. & Constantin. I. & Eph. I.

Sed dogma Vbiquetarium, cùm affirmat ineffabili & arcano modo Christum secundùm humanitatē esse Deum, omnipotentem &c. manifestè ponit vnionis modum pugnantem cum hac confessione fidei.

Ergo dogma falsum & hæreticum est.

Maior propositio sine omni dubitatione verissima est, & planè extra controuersiā, cùm illa confessio in celeberrimo Concilio, ac vno ex quatuor Ecclesiæ præcipuis edita, ab omnibus etiam Aduersariis tāquàm verbo Dei omnino cōsentanea summo cōsensu recipiatur. Et adeò quidem vt ipse Schmidelinus, recitata illa Cōcilij sententia, anathema palā dicat iis qui contra sentiunt, id est, sibi & suis collegis.

In Repet. Vvit.

Minorem autē probo. Quoniam quæstio illis tēporibus hæreticorum importunitate excitata fuit, qualis assumpta natura per vnionem cum diuino Verbo euaserit, non quidē essentialiter, id est exse, neq; physicè aut subiectiuè (hoc em̄ in cōtrouersiam minimè veniebat; cùm nemo ignoraret nō potuisse his modis esse nisi talem qualis est natura cæterorū hominū) sed ineffabili arcanissimoq; modo, quē isti hypostaticum siue psonalem vocant. Ita cùm Cōcilium definit, per VNIONEM non fuisse sublatā differentiā naturarū sed vtramq; MAGIS pmansisse incōfusam &c; hoc vtiq; definit, incarnationis mysterio minimè factū esse, vt arcano aliquo ineffabiliq; modo, q̄ diuina sunt, de Christo homine secūdū humanitatē

NOTA.

Quomodo in Concil. Calced. dānata sit Vbiquetariorum opinio.

affirmari queant. Hoc enim est vtramq; naturam mansisse inconfusam, de humana natura solùm affirmari posse, quæ sunt humana, & de diuina quæ sunt diuina: neq; per vnionem ineffabili modo (de quo vt dixi quæstio erat) Christum secundùm humanam naturam esse illa quæ sunt diuina. Sic etiam cùm statuit Cõcilium ibi, spectata etiam vnitate personali Christi, permansisse MAGIS saluam vtriusq; naturæ proprietatem; certè statuit, factum minimè esse vt arcano ineffabiliq; modo vnionis, quæ diuinæ naturę erant propria, fierent cum natura assumpta communia.

Sed hîc necesse est Schmidelinum audire, qui in postrema sua repetitione VVittembergica miserabiliter sanè explicare nititur, quemadmodum attributa diuina nõ desierint esse diuinæ naturæ propria, licet fuerint cum assumpta natura ineffabiliter communicata. Non enim, inquit ille, communicata sunt ideo alteri alicui suppositо: cùm natura non sit alter (nota lector) sed altera. Ideo λόγος, inquit, cùm naturæ assumptæ communicat quod sibi proprium est, non desinit eius proprium esse, nec alteri communicat: cùm natura assumpta non sit ἀπὸ ipsa persona vel à persona τοῦ λόγου separata. Hactenus iste. Quem admiror profectò fuisse tam cæcum vt non viderit quid propriè Patribus in illa Concilij definitione propositum fuerit. Agebant enim illi cõtra parentem istorum Euthicheten, qui cùm nihil minùs quàm alterum in Christo sùppositum, cui diuina attributa communicarentur, poneret, sed maximè vnitatẽ diuinæ Christi personæ confiteretur: naturas dunt axat cõfundebat. Ita cùm Patres proprietates naturę diuinę manssisse saluas definiunt, non tam suppositũ alterum, quàm alterã inprimis naturã, nempe assumptam, ab illarũ proprietatum cõmunione excludunt. Prętereà cùm proprietates ad naturam potissimùm spectent, ipsiq; primò conueniant, & per illam

In Repet. VVitt. propos. 152. & 153.

Non respondet Vbiquetarij satis ad Contil. Calced.

illam ſuppoſito: ideo inprimis proprietates ſunt & dicuntur, quia cõmunes non ſunt alteri naturæ, vnde conſequitur vt neq; conueniant alteri ſuppoſito. Perſpicuum eſt igitur iſtos cum illa Calcedonẽſis Cõcilij definitione pugnare, cũ cõtendunt attributa diuina alteri naturæ cõmunicata eſſe, nempe humanæ, ſic vt Chriſtus ſecundùm illam etiam verè ſit atq; affirmetur eſſe Deus, omnipotens, vbiq; præſens &c. Atq; hoc ſit noſtrum primum argumentum.

II. Falſum & hæreticum eſt dogma illud, quod modum vnionis ſic aſſignat, vt propoſitiones, omnino & propriè contradictorias, arcano & ineffabili modo veras eſſe admittat.

Tale eſt autem hoc Vbiquetarium dogma.

Quare dogma falſum & hæreticum eſt.

Maior certiſſima eſt. Nam contradictio, ſi omnino contradictio eſt, nullo modo, ne ineffabiliter quidem poteſt eſſe vera. Et hanc vim habet axioma illud omnium conſenſu receptum, cõtradictionem non eſſe rem eiuſ. nodi, quæ per vllam potentiam, etiam diuinam & ſupranaturalem, aliquo modo conſtare poſſit. Atque ita modus vnionis, qui contradictionem, etiam ineffabilem, contineat, erit & contra veritatem apertè falſus, & contra fidem, ex qua conſtat hoc myſterium eſſe poſſibile, manifeſtè hæreticus.

Quomodo incidant Vbiquetarij in contradictionem.

Minor autem oſtenditur. Primùm enim vltrò nobis dant iſti, veras eſſe ineffabiliter propoſitiones illas affirmatiuas: Chriſtus ſecundùm humanitatem eſt Deus, eſt omnipotens, &c. Et tamen retenta eadem ratione ſubiecti, hoc eſt, Chriſti ſecundùm humanitatem, & prædicati, id eſt, Dei, omnipotentis &c; atque etiam copulæ, vt vocant, id eſt, verbi Est, vt ſcilicet denotet vnitatem & identitatem, quam iſti arbitrãtur ineffabili modo hîc exiſtere inter id prædicatum & ſubiectum: retenta inquam ratione omnium iſtorum; certiſſimum & lumine naturali, & ſcripturæ quoque [d] teſtimoni-

d *Vbicũq; Chriſ-*

Imo Vt homo inferiorem se esse Deo significans. Vt Ioan. 10. & 15. Marc. 10. Luc. 18. &c.

is est, neq; abistis negari potest, simul etiã veras esse has propositiones negatiuas: Christus secundũ humanitatem nõ est Deus, nõ est omnipotens &; id est alia quædã res est à Deo secundùm diuinitatẽ & omnipotentiã &c. Admittit igitur vel admittere certè cogitur illud dogma veras esse simul propositiones quæ propriè sint cõtradictoriæ, id est, in quib⁹ affirmetur & negetur idẽ prors⁹ de eodẽ, vtrobiq; secundũ idem.

III. Absurdum & hæreticum est dogma illud, ex quo necessaria & firma consequentiæ forma consequuntur hæretica & absurda multa.

Est autem eiusmodi dogma Vbiquetarium.

Dogma igitur absurdum & hæreticum est.

Quomodo incurrant in absurda.

Maior probatione nõ indiget. Minorem probabo. Quoniam primò sequitur in Christo neque diuinam neq; humanam naturam esse aut fuisse vnquàm. Quod enim est vnum & idem cum humana natura, non est verè natura diuina. Nam natura diuina prorsus est aliud quiddam à quacunque natura creata. Neque potest vllo arcano modo cum re creata vnum & idem esse arcano etiam modo, quin amittat suum esse: Siquidem eo ipso quo est, differt & est aliud quiddam à quocunq; altero. Quare cùm isti affirmant Christum secundùm diuinitatem & humanitatem suam vnum quiddam & idem ineffabili modo esse; diuinam certè Christi naturam ineffabiliter, id est vanissimè & insipienter, suo esse expoliant. Ac pari modo probatur idem de natura humana.

Diuina & humana natura Christum expoliant Vbiquetarij.

Nam quod est vnum quiddam & idem cum natura diuina, non est verè natura humana. Sed opinione istorum ineffabiliter factum est vt Christus secundùm naturam assumptam sit vnum & idem cum natura diuina. Factũ igitur ineffabiliter est vt illa assumpta natura non sit verè natura humana. Hæc enim & ipso suo esse aliud quiddã à quocũq; creato vel increato est, & eiusmodi prorsus est, vt ipsius TOTARES atq;

ra-

ratio vno quoddam genere & vna differētia finiatur; nempe, animal rationale. Si quid verò eiusmodi est vt vnū & idem sit cū natura diuina & infinita; huius certè TOTA res atq; ratio nō clauditur atq; definitur vno certo genere & differētia vna.

2. Deinde existo dogmate sequitur, Christū secundùm humanitatem suam authorem extitisse suæ humanitatis. Quoniam istorum iudicio Christus per humanitatē suam omnino cōmunicat omnibus & attributis & operationibus diuinæ naturæ propriis. Ex his autem operationibus vna sine dubio fuit illa effectio humanitatis, qua modo quodā suo Deus quoq; fuit autor illius, sicut cæterarum omnium rerum. Item quoniam per id fuit Christus author humanitatis suæ quo est omnipotens siue vnum & idem cum omnipotentia seu omnipotente quatenus omnipotens. Quidquid enim omnino fit, proficiscitur ab omnipotente & omnipotentia, atque adeò ineffabiliter etiam ab eo quod ineffabiliter vnū & idem est re ipsa cum omnipotentia. Est autem Christus, vt istis placet, secundùm humanitatem suam omnipotens ac vnum & idem cum omnipotentia ineffabiliter. Christus igitur per humanitatem suam ineffabiliter extitit humanitatis suæ author. Sed formemus argumentum etiam hoc modo: Qui omnipotens est, facere potuit, per id quo est omnipotens, quidquid omnino factum est aut fieri potuit. nam hæc est vocis notio. Christus autem per humanitatem suam omnipotens ineffabiliter est, & quidem eadem ipsa omnipotentia diuina, vt isti dicunt. Potuit igitur per humanitatem suā facere & producere ineffabiliter ipsam suā humanitatem; vt quæ vnum quiddā est ex his quæ facta sunt, & fieri adeò potuerūt. Quo quid obsecro cogitari potest absurdius.

Humanitas Christi à seipsa facta, secundū istos.

Absurdum Vbiquetariorum ineffabile.

3. Sequitur, Christum secundùm humanitatem suam ante suam humanitatem extitisse. Quoniam affirmant isti, eum secundùm humanitatem quoque esse æternum. Id autem

Humanitas Christi ante se ipsam extitit, secundum istos.

tem æternum est quod nunquàm non est, quodque ideo antecedit omne temporale. Est autem Christi humanitas res quædam initium habens in Virginis vtero ex tempore. Ita si Christus per humanitatem hanc suam ineffabiliter æternus est; per humanitatem suam ineffabiliter extitit ante suam humanitatem.

Christum neq; passum neq; mortuum aut sepultum esse, iuxta nouum symbolum Vbiquetarium.

4. Sequitur, Christum secundùm humanitatem neq; pati neque mori potuisse, atque adeò neq; passum neq; mortuum esse. Hoc ita probo. Quoniam licet isti concedant, humanitatem illam fuisse physicè & naturaliter mortalem atque passibilem: contendunt tamen eandem humanitatem, seu Christum secundùm illam beneficio & gratia vnionis fuisse ineffabiliter immortalem atque impassibilem. Et quidem, quod fateri eos oportet, longè excellentiùs quàm sint beati homines post communem resurrectionem futuri Dei beneficio immortales & impassibiles; licet alioqui physicè atque ex natura sua impassibiles & immortales non erunt. Ponunt enim isti Christum secundùm humanitatem ineffabiliter impassibilem & immortalem esse eadem ipsa impassibilitate & immortalitate diuina. Quod longè maius atque excellentius est, quàm impassibilem & immortalem esse gratuito dono à diuina immortalitate distincto, quomodo immortales & impassibiles erunt beati, qualecunq; tandem donum futurum sit illud. Nunc ita rationem conficio. Licet beati homines post resurrectionem, si physicè atque ex natura tantùm sua considerentur, passibiles & mortales erunt: tamen quia gratuito beneficio immortales atque impassibiles sunt futuri; neq; pati in natura sua quidquam, neque secundùm illam mori poterunt. Multò igitur minùs Christus, etsi naturaliter & physicè mori & pati potuerit; vel pati quidquam omnino in natura sua, vel secundùm illam mori absolutè potuit, cùm dono fuerit longè excellentio-

NOTA.

ri nem-

ri, nempe ipsa immortalitate & impassibilitate diuina, impassibilis & immortalis. Hoc enim gratuita atq; addita, vt sic appellem, impassibilitas & immortalitas præstat naturæ suapte alioquî conditione passibili & mortali; ne naturalis hæc ipsius conditio sufficiat vnquã ac faciat vt aut intereat aut aliquid re ipsa patiatur. Atque id cum Beatis præstitura sit illa ipsorum futura immortalitas; quî negare Aduersarij poterunt, idem præstitisse Christo suam, id est, diuinam immortalitatem, si omnino per illam fuit secundùm humanitatem, vt contendunt, immortalis?

Certè nobis non elabentur hoc loco, si excipiant atque respondeant id, quod absque vlla prorsus vel rei ipsius vel opinionis suæ intelligentia, verbis tantùm inanissimis notant: nempe fuisse quidem à momento incarnationis Christum secundùm humanitatem præditum immortalitate & aliis diuinis attributis: sed eorum vim tamen ante resurrectionẽ nõ vsurpâsse, imò repressisse quodãmodò & texisse forma serui. Proinde mori & pati potuisse. Puderet autẽ istos maximè sic dicere, si de diuinorum attributorum differentia & ratione quidquam omnino intelligerent. Quod enim inquiunt, CHRISTVM secundùm naturam humanam attributa diuina habuisse, neque tamen illa vsurpâsse, potest id quidem vtcumque intelligi de aliquibus attributis, quorum vsum, & quasi actum secundum ab eorum ratione licet distinguere, cuiusmodi est inprimis diuina potentia: de omnibus autem attributis vniuersè, ne dici id quidem sine insigni stultitia potest.

In repetit. VVitt. propos. 108. 109. 191. 192. *& seq.*

Non omnia attributa diuina sunt eiusmodi, vt possint haberi & tamen nõ vsurpari.

Nam quædam attributa diuina sunt eiusmodi, vt eorum propria ratio in quodam quasi vsu & tanquàm actu secundo sit posita. Cuiusmodi est omnipræsentia, & omniscientia. Vbiq; enim locorum DEVM præsentẽ adesse, quasi quidam vsus & velut actus secundus ipsius immensitatis

Id declaratur.

est. Sic etiam omnia Deum cognoscere atq; scire, vsus quidam est intelligentiæ diuinæ. Vt manifesta certè sit Schmidelini & collegarum insciti a; qui cùm contendant omnipræsentiam siue vbiquitatem diuinam ac attributa reliqua ab incarnationis momento communicata realiter fuisse naturæ assumptæ: negant tamen Christum ante resurrectionem vsurpauisse omniscientiam hanc & vbiquitatem, neq; concedunt, ipsum ante id tempus cognouisse diem extremi iudicij. Hęc istorum hominũ annotatio plenissima est ignorantiæ atq; absurditatis. Quoniam consistunt in vsu quodã eiusmodi attributa, sicut ostensum est. Ita fit vt à quo momento illa Christus habuit, ab eodem momento ipsa vsurpauerit. Aut si aliquando non vsurpauit; certè tunc non habuit.

Repet. VVitt. prop. 195.

Præterea quædam alia sunt Dei attributa, in quibus, etsi liceat vtcumque distinguere eorum vsum ab eorundem ratione: tamen ita necessariò eorum vsus cum ipsorum ratione est cõiunctus, vt si quis separet, manifestè tollat vtrũque, atque adeò delabatur ad contradictionem si velit alterum sine altero retinere. Atque ex his est inprimis immortalitas & impassibilitas, in quibus procedebat nostrum illud argumentum. Dicere namque possumus, rationem immortalitatis esse, non posse mori; impassibilitatis aũt non posse pati: Vsum autem & velut actum secundum immortalitatis esse non mori, & impassibilitatis non pati. Sed si huiusmodi vsus ab his attributis separes, ponasque rem aliquam & passam & mortuam fuisse: necessariò sequitur eandem non fuisse immortalem & impassibilem. quia si passa & mortua est; ergo pati & mori potuit; ergo impassibilis & immortalis non fuit. Alioquî, si simul illam impassibilem & immortalem fuisse concedas; contradictorias has propositiones duas simul concedes: Res eiusmodi in na-

Si Christum cùm hic vineret, immortalis fuit, non potuit immortalitate non vti.

in natura sua pati tandem atque mori potuit; et, Res eiusmodi in natura sua neque pati omnino neque mori potuit. Hoc enim est rem esse gratuito DEI beneficio impassibilem & immortalem; vt scilicet non possit omnino in natura sua pati tandem & mori; id impediente, sicut suprà docuimus, immortalitate & impassibilitate gratuita. Quare infirmum & miserum est illud istorum perfugium: neque aliud quàm insciti am suam, & ipsam causam simul produnt, cùm de attributis diuinis vniuersè pronunciant, illa quidem à principio Christum secundùm humanitatem habuisse: non autem vsurpâsse. Vsurpauit enim certè pleraque, & in his maximè impassibilitatem & immortalitatem semper, si semper hæc habuit. Ac proinde rectè contra istos concluſimus ex eorum delira opinione esse consequens, vt Christus neq; passus neq; mortuus fuerit.

Nō possunt Aduersarij defendere articulum de Christi morte & passione, nisi Sabiquitatis fundamentum abiciant.

Sed in mentem hîc mihi venit optare vt respondeant CHRISTVM immortalitatem habuisse, non vt non posset mori, sed tantùm vt posset etiam non mori. Hoc si dicant, primùm sententiam suam ipsi funditus euertent. Nam si ita est, non igitur CHRISTVS secundùm humanitatem præditus fuit illa eadem immortalitate & iisdem ipsis attributis, quibus DEVS; neque fuit adeò in assumptam naturam omnis effusa plenitudo diuinitatis. Nisi fortè ignorant DEVM immortalitate eiusmodi præditum esse, vt non modò possit non mori, sed etiam vt nullo modo mori possit. Deinde posse non mori, propriè quidem immortalitas non est: sed non posse mori, id verò est esse verè immortalē. Quare cùm Christum secundùm humanitatem aiunt fuisse verè & quidem ipsa immortalitate diuina immortalem, ita necesse est intelligant.

Sed non vsurpauit, inquiunt, istiusmodi immortalitatem. Hoc iam antè manifestissima ratione confutatum est,

ac potest aliter etiam ex ipsa istorum assertione non minùs euidenter confutari. Ipsi enim affirmant, TOTAM plenitudinem diuinitatis, quæ non modò attributa, verùm etiam operationes omnes diuinas, & quidquid omnino est in Verbo, contineat, assumptæ naturæ realiter cõmunicata fuisse. Habuit igitur assumpta natura semper, vt attributa, sic etiã operationes atque vsus eos omnes attributorum, quos habet ipsum Verbum diuinũ. At Verbum nunquàm non immortalitate vsum est. Nunquam igitur Christus secundùm assumptam naturam immortalitatem non vsurpauit. Hîc certè, nisi de sententia desistant, difficillimè se isti extricabunt. Nam si omnem omnino plenitudinem diuinitatis Verbi in humanitatem esse transfusam volunt, non magis vllius attributi operationem aut vsum ab ipso attributo separare in humanitate poterunt quàm in Verbo; etiam si alioquî tale sit aliquod attributum in quo liceat vsum illius ab eiusdem ratione quoquo modo intelligentia nostra, vt antè dicebamus, distinguere. Sed prolixum esset absurda persequi omnia quæ isti propter opinionis peruersitatem compelluntur suscipere.

Repugnantia docent Vbiquetarij, vt extricare sese non possint.

Non habet vllũ exitum opinio istorum.

IIII. Quoniam autem fieri potest, vt isti, nescientes quæ loquuntur, aut de quibus affirmant, negent nobis, propositiones illas, Christus secundùm humanitatem est Deus, omnipotens &c. eam habere sententiam, quam suprà ex istorum verbis & disputatione, habere ipsorum opinione, conuicimus; optionem illis damus, vt quod malint eligant. Nam si quidquam omnino de opinione sua intelligunt, & non tantùm iactant nuda verba, alterutrum necesse est cõcedant affirmari significariq; adeò propositionibus illis: Scilicet, vel Christum secundùm humanitatẽ esse planè vnum quiddam & idem, licet ineffabiliter, cum diuinis illis attributis; vel Christum certè secundùm humanitatem habere

solùm

olùm illa diuina, vt sine vlla vnitate & identitate etiam ineffabili, per illa tantummodò quasi extrinsecè perficiatur humanitas atque subsistat in Verbi persona. Neque poterunt nisi sint planè ignorantes hîc respondere, affirmationem illam diuinorum de Christo secundùm humanitatem, neutrum istorum habere sensum, sed alium arcanum planè & ineffabilem de quo nihil omnino explicare ac dicere nobis possint; nisi fortè hoc tantùm, quod etsi ipsi sensum illum non intelligant, talis tamen sit vt ex illo bene concludi possit humanitatem Christi esse vbique. Primùm enim, si ita respondeant, interrogandi sunt, quomodo, si arcanum illũ sensum ipsi non intelligunt, intelligere tamen et asseuerare possint ex illo se bene concludere humanæ Christi naturæ vbiquitatẽ? aut in quo loco sacræ scripturæ bonitatem eius consequentiæ, cuius rationem ipsi reddere non possint, reuelatam habeant? Deinde ne ad latebras eiusmodi sensuum fictitiorũ confugere isti possint, docendi erunt, qua ratione meritò dici soleat, & quid sit, mysteria diuina esse arcana & ineffabilia. Quamuis enim intelligentia nostra in hac vita penetrare penitus ad mysteriorum vsq; rationem propriam & (vt sic dicam) vltimam nequaquàm valeat: si quid tamen verbis & oratione de diuinis rebus verè & citra temeritatem efferimus, necesse prorsus est, vt communis saltem aliqua notio, siue propriè siue figuratè significata verbis, ad res ipsas diuinas verè accommodari possit. Quid enim censeremus, si quis, exempli causa, diuinas personas non tres tantùm sed septem esse affirmaret, neque id tamen secundùm vsitatam & cõmunem notionẽ nostram septenarij numeri, sed secundùm aliam quandam septenarij rationem prorsus arcanam & ineffabilem verum esse contenderet? Hîc certè insigni atque arcana quadam laborare stultitia & insania iudicaretur. Omnino abdita mysteria enuntiãdo occultum aliquid,

Quatenus sint ineffabilia diuina mysteria.

nos docet fides; neq; eorum rationes proprias & vltimas distinctè penitus & clarè nobis ostendit. Sed cum his assentimur, notionibus nostris vtamur, necesse est; vel verba tantũ inaniter ore sonabimus, nihil mẽte credemus. Quod præclarè mihi beatus Augustinus indicauisse videtur vbi sic scripsit: Credimus Dominum nostrum IESVM Christum natum de Virgine quæ Maria vocabatur. Quid sit autẽ virgo, & quid sit nasci, & quid sit nomen proprium, nõ credimus sed prorsus nouimus. Atque etiam ibidem: Cùm dicimus, inquit, & credimus esse trinitatem, nouimus quid sit trinitas, quia nouimus quid sint tria.

Lib. 2. de Trin. c. 5.

Postulamus igitur iam ab Aduersariis, vt iuxta hanc doctrinam, quæ sine omni certè dubitatione vera est, nobis indicent communem saltem aliquam notionem illius affirmationis, qua de Christo secundùm humanitatem enunciant diuina. Nam cùm alterum de altero in aliqua enunciatione affirmamus; secundùm cõmunissimas & vsitatas Verbi notiones, alteruter solet esse sẽsus. Aut enim significamus, subiectum & prædicatum enunciationis, secundùm formas per vtrunq; significatas, esse vnum quiddam & idem: aut subiectum certè habere tantum modò aliqua ratione formam significatã per prædicatum. neq; præterea vllam aliam communem habet notionẽ affirmatio, seu verbũ EST, quo subiectum & prædicatũ enunciatione copulamus. Proinde, quãdo isti affirmant & dicunt, Christum secundùm humanitatẽ esse personã diuinam, esse Deum, esse omnipotentem, & reliqua, quibus plenitudo diuinitatis cõtinetur: necesse est, sicut antè argumentari cœpimus, alterutrũ esse affirmationis eiusmodi sensum. Scilicet, vel Christum secundùm humanitatem esse vnum & idem, tametsi ineffabiliter, cum persona diuina, & cum Deo &c; vel certè secundùm humanitatẽ habere tantùm personæ diuinæ subsistentiam ac plenitudinem

Examinatur Aduersariorum assertio.

diui-

diuinitatis vt per hæc quasi extrinsecè, id est absq; identitate, perficiatur & subsistat; constituaturq; eatenus vna persona ex vtraque natura.

Etsi verò multis argumentis suprà euicerimus, priorem istos sensum, nisi de sententia desistant, & secum ipsi pugnēt, retinere debere; tamen ne queri possint, optionem illis, vt dicebam, denuò damus, vt quem malint sensum ex his duobus eligant. Si, vt inconstantiæ notam effugiāt, in priori sensu persistent, omnibus illis argumentis manifestè reuincuntur, quæ contra vanissimum id figmētum hactenus fecimus. Si verò absurdis, quæ in eorum opinione patefecimus, deterriti, dicant se alterum illum sensum posteriorem tantūmodò velle; in vanum laborauerunt, cùm tam operosè hactenus in vnione hypostatica quæsiuerunt præsidium Vbiquitario dogmati, quod fuit illis in hac omni disputatione propositum. Ita enim (quod suprà etiam docui) diuinam omnipræsentiam Christus secundùm humanitatem habuerit, non vt secundùm humanitatem ipsam vbique locorum sit præsens, recipiatq; adeò secundùm humanitatem prædicationem (vt ita dicam) Vbiquitatis: Sed vt per eam perfectionē diuinam, quatenus à subsistentia Verbi non differt, subsistat & perficiatur hypostaticè secundariò, sicut suprà notabamus. Quemadmodum, neque æternitatem diuinam aut infinitatem Christus in eo sensu secundùm humanitatem habuerit vt ipse secundùm humanitatem etiam sit infinitus et æternus: sed vt per eas perfectiones, quatenus reipsa sunt idem cum subsistentia Verbi, hypostaticè subsistat, saltem secundariò, eius humanitas. Sic enim nihil minùs inde consequetur, quàm humanitatem Christi prorsus esse æqualis aut eiusdem maiestatis cum diuino Verbo, vt isti contendunt.

Habe-

Habebit enim ita totam verbi perfectionem & energiam tantùm vt per illam quasi extrinsecè perficiatur & cõpleatur hypostaticè. Quod minimè satis est vt ipsa humanitas sit eiusdem aut æqualis cum Verbo perfectionis. Nam & corpus, vt suprà quoq; obiiciebã, omnem perfectionem & energiam animæ quodam modo & ratione habet: sed quia eam tantùm habet, vt per illam extrinsecè perficiatur & quasi compleatur ad constituendum vnam substantiam seu essentiam; minimè propterea æqualis aut eiusdem perfectionis est cum anima ipsa.

Præterea non arbitror istos concessuros esse se hactenus disputatione hac tota, de vnione hypostatica, de nominibus tantùm & modo loquendi, tanto præsertim cum detrimento sui nominis & existimationis pugnauisse. At si sensum illum posteriorem tantùm indicare, quod ad rem ipsam attinet, voluerunt, de verbis tantùm incauti & imprudentes certârunt. Quis enim vnquam Theologorum negauit ipsis, plenitudinem diuinitatis atque energiam Verbi fuisse realiter assumptæ naturæ communicatam, non vt assumpta natura sit illa, sed vt per illam hypostaticè subsistat? Nullus omnino. Imò omnes id ipsum, vt claris testimoniis superiùs docui, vno ore fatentur. Quanquam non potest quidem hæc ipsa sententia nisi ineptè & temerè (vt initio etiam aiebam) significari propositionibus illis quas isti vsurpant, scilicet, Christus secundùm humanitatem est persona diuina, Deus, omnipotens &c.

Quocunque igitur isti se vertant, constricti tenentur. Neque mouere debet, quòd iam hunc iam illum esse opinionis suæ sensum indicare videantur. Sic enim se res habet, vt ipsimet, quæ loquuntur, penitus non intelligant, ac multò minùs constanti aliqua ratione declarare possint. Ita fit, vt siue hoc, siue illud voluerint, sæpenumerò videri possint pugnare

Nec explicare nec defendere sententiam suam possunt Vbiquetarij.

gnare secum, neque consequantur id vlla via quod sibi proposuerunt. Nam si priori modo & sensu intelligant, tollunt veritatem vtriusque naturæ, & consequenter non obtinent, Christum secundùm veram humanitatem esse vbique. Si autem intelligant modo posteriori, nihilo magis vel vbiquitatem humanæ Christi naturæ vel æqualitatem maiestatis eius cum diuino Verbo probare inde possunt, vt est ostensum.

Quomodo ponant diuinitatem ineffabiliter esse passam.

V. Haud dissimili ratione conuelli potest, quod aiunt, neque diuinitatem excludendam esse à subiecto propositionum illarum: Deus est homo, passus, mortuus &c. Quid enim istiusmodi affirmatione (Deus secundùm diuinitatem est homo) sibi volunt? Si Deum & hominem formaliter, hoc est, secundùm diuinitatem & humanitatem ineffabiliter vnum & idem esse significant: in errorem delabentur Euthichianorũ Acephalorum, qui sic desipuerunt, vt ipsam diuinitatem Christi affirmarent & passam & crucifixam fuisse. Nam si ineffabiliter vnum & idem cum humanitate diuinitas est, ineffabiliter certè Christus in ipsa fuerit reipsa passus, hocipso quod passus est in humanitate. Et quid aliud obsecro significat, Deus secundùm diuinitatem est mortuus & crucifixus, quàm quòd mortuus & crucifixus sit in ipsa etiã diuinitate? At illam ipsi propositionem apertè concedunt, cùm diuinitatem à subiecto excludi debere negant. Tum alia sequentur absurda de quibus est dictum suprà. Si autem sententiæ illos propriæ nunc pudeat, seque non aliud velle dicant quàm quòd Christus secundùm diuinitatem habeat sibi hypostaticè vnitam humanitatem, in qua sola mortuus & crucifixus sit: sententiam certè quam nemo negauit inepto ac temerario loquendi modo explicãt, & circa quæstiones pugnasq; verborum languent, quod vicio vertit, & meritò, Diuus Paulus. 1. ad Tim. 6.

Opinio Aduersariorum multis modis iam olim est condẽnata.

VI. Accedit, quòd, vt apparet ex dictis, istorũ sentẽtia adeò cum veteribus erroribus consentit, vt etiã phrasis videatur esse prorsus illa eadem quæ iam olim in veteribus hæreticis est ab Ecclesia cum subiecto sensu damnata & anathematizata. Hoc apparet ex his testimoniis. Hieronymus: Illorum, inquit, execramur etiam blasphemiam, qui nouo sensu asserere conantur, à tempore susceptæ carnis, omnia quæ erant diuinitatis in hominem commigrâsse, & rursum quæ erant humanitatis in Deum esse transfusa. Vt quod nulla vnquã hæresis dicere ausa est, videatur hac cõfusione vtraq; exinanita substãtia, Deitatis videlicet & humanitatis, & à proprio statu in aliud esse commutata. Hactenus ille. Quæ sunt voces & sententia item istorũ. Leuissimum enim est quod excipiunt, se physicè & essentialiter, quę sunt diuina, non attribuere naturæ assumptæ. Sic enim neq; vllus veterum hæreticorum attribuit; sed ineffabili quadam & arcana cõmunicatione, quam Ecclesia damnat, vt suprà disputauimus.

In expos. fidei ad Damasum. Habetur idem serm. 191. Aug. de tempore.

Syn. 5. cap. 4.

In quinta etiam Synodo sic inter alia legitur: Si quis dixerit, secundùm operationem vel secundùm æqualitatem honoris vel secundùm autoritatem, aut effectuum, aut virtutem, vnitionem Dei Verbi ad hominem factam esse, anathema sit. Tum in Ephesina Synodo: Nõ potest vnire naturas (vnitate hypostatica) sola dignitatis aut potestatis æqualitas. Ita ibi. Quod est rectissimè dictum. Nam si diuinæ personæ, quę essentialiter etiam eiusdem numero naturæ, potentiæ, & maiestatis sunt, nõ eo ipso tamen hypostaticè vnitæ esse intelligi possunt; quanto minùs communicatio & æqualitas quam isti fingunt, maiestatis & potentiæ assumptæ naturæ cum natura diuina, continebit propriam rationem vnionis hypostaticæ vtriusque naturæ? Errant igitur & repugnant doctrinæ sanæ. Aduersarij cùm per æqualitatem maiestatis, vt suprà demonstrauimus, hypostaticam

In Epistol. ad Nestor.

hanc vnionem describunt. quod damnat Ephesina Synodus.

Neq; verò quidquam ipsos hoc loco iuuat, quòd eam æqualitatem ponunt etiam existere ex reali quoq; communicatione personæ Verbi eiusq; subsistentiæ cum assumpta natura. Hoc enim non ideo docent vt ex persona & subsistẽtia Verbi aliquam aliam rationem, præter æqualitatẽ, deducant, in qua propriè constituant hanc vnionem; sed vt ita demum ostendant, assumptam naturam, per communicationem omnium omnino quæ sunt in Verbo, euectã esse ad æqualitatem illam maiestatis, qua definiunt propriè rationem hypostaticæ vnionis. Quare, licet subsistentiam Verbi inter cætera communicatam esse assumptæ naturæ dicant, eôdem tamen relabuntur; vt scilicet hypostaticam vnionẽ propriè statuant in æqualitate maiestatis.

Non explicant isti quomodo ex vnione cõstituta sit vna persona.

Qua sanè in re, & cum Synodo, vt diximus, Ephesina pugnant, & clarissimè ostendunt, se minimè assertione sua explicare modum ipsum hypostaticæ siue personalis vnionis. Et enim cùm in confessione Augustana professi sint; se personæ vocabulum sic vsurpare quomodo vsurpatum communiter est ab aliis Doctoribus; negare non debent receptã omnium consensu personæ definitionem. Vt persona sit intellectualis naturæ indiuidua siue incõmunicabilis subsistantia. Id verò cùm ita sit; quidquid de naturæ assumptæ æqualitate dicatur; quandiu tamen non exponitur quòd natura humana sic à Verbo assumpta sit, vt per illius personalẽ subsistentiam sit reddita incommunicabilis, minimè ratio propria huius hypostaticæ seu personalis vnionis aperitur. Quæ causa est cur verissimè in Synodo dictum sit, non posse vnire naturas solam dignitatis aut potestatis æqualitatem. Impingunt igitur Aduersarij planè in hunc locum.

In confess. Augustana art. 1.

Ex Boëtio lib. de duab. naturis.

In 6. Synodo act. 4. & 9.

Prætereà Monothelitarum error non ideo solùm ab Ecclesia damnatus est, quoniam omnino negarẽt illi aliquam humanitatis Christi fuisse operationem creatam præter diuinam: Sed quoniam confusè ponebãt ipsam operationem diuinam fuisse quoque operationem humanæ naturæ, non tantùm vt instrumenti, sed etiam vt formæ à qua item proficisceretur ineffabiliter. Quamuis igitur isti creatas suas & physicas operationes concedant humanitati assumptæ, cõsentiunt tamen cum Monothelitis in eo quod asserunt, humanitatem verè & realiter communicauisse operationibus omnibus diuinis, non tantùm vt instrumentum, sicut nos fatemur, sed arcanissimo quodam modo &c.

Conc. Basil. sess. 11.

Non est etiam ab hoc loco alienum quod in Concilio Basilienſi legimus. Etenim ex multis propositionibus cuiusdam Augustini de Roma, Archiepiscopi Nazareni, quas summo consensu Patres in eo conuentu damnauerunt, hæc vna est: Humana natura assumpta à Verbo ex vnione personali est veraciter Deus naturalis. Item hæc: Duæ naturæ in Christo humana & diuina æqualiter diliguntur à Deo, & æqualiter sunt diligibiles propter personam communem. Item hæc: Humana natura in Christo est persona Verbi. Quę planè videtur istorum esse opinio, cùm aiunt à subiecto illarum propositionum: Christus est persona diuina, Deus &c. nõ esse excludendam humanitatem: Item naturam assumptam esse æqualis maiestatis cum diuina. Continuò enim sequitur, illam esse æqualis bonitatis & perfectionis cum natura diuina. Nam communicat, istorum opinione, omnibus Dei attributis, quibus diuina maiestas cõtinetur. Quodsi æqualis perfectionis atque bonitatis est, æqualiter certè diligitur & est diligibilis à Deo, vt aiebat ille Augustinus de Roma.

QVÆ est igitur in Ecclesia tam multis modis damnata opinio, à nobis etiam tanquàm execrabilis reiicienda est; idque prorsus retinendum quod orthodoxa sententia de hypostatica vnione docet. Nempe, naturam humanam hoc esse propriè diuino Verbo hypostaticè vnitam, quòd est per illius subsistentiam tanquàm per terminum quendam substantialem à quo tanquàm à sui quodam complemento dependet, reddita incommunicabilis atque adeò velut substantialiter completa. Hoc Ecclesia docet cùm declarat vnionem istam fuisse secundùm subsistentiam. Sic enim in Concilio secundo Constantinopolitano, atque etiam in Ephesina Synodo dicitur, Carni secundùm subsistentiam vnitum est Dei Patris Verbum. Atque vt multa iam, quæ de hac re copiosè dici possent, præteream, eum etiam modum vnionis Diuus Augustinus mihi videtur subtiliter indicauisse, cùm propter assumptæ naturæ dependentiam à Verbo in ea vnione, ita scripsit: Ipse est filius hominis qui & filius Dei. HÆRENDO enim ad vnitatem personæ filius hominis filio Dei, FACTA est vna persona, eademque filius Dei quæ & filius hominis.

Quid Ecclesia de vnione doceat.

In Conc. Constan. 2. cap 4. Epheſino, Epiſt. ad Neſtor.

Aug. tract. 19. in Ioann.

Porrò ex istiusmodi vnione rectè cõsequitur, illum eundem hominem & Deum, nempe Christum, esse & dici posse tum diuina tum humana, id est, Deum & hominẽ, immortalem & mortalem &c: Sed ita tamen vt non secundùm eandem naturam, vel diuinam vel humanam, vtriusq; generis attributa de ipso affirmentur, sed secundùm vnam & eandem personam, cui & diuina quidem ratione diuinæ naturę, & humana ratione humanæ, simul conueniunt. Quæ est regula à sanctis Patribus tradita & ab omnibus Doctoribus orthodoxis necessariò recepta. Nam cùm idiomatum siue loquutionum vtriusque generis communicatio in eodem, ex re ipsa & ratione mysterij consequuta sit: ad illam eandem

Quomodo diuina & humana tribuenda sint Christo.

NOTA.

rem referre atq; accommodare oportet idiomata vtriusq; naturæ, in qua re cõmunicant ipsæ duæ naturæ. Hæc autem res non est vna aliqua & eadem natura, sed vna duntaxat & eadem persona seu hypostasis Verbi. Ita fit vt diuersa idiomata vtriusque naturæ non aliqua vna natura, sed vna duntaxat persona siue hypostasi Verbi tanquàm communi subiecto communicare possint; cui proinde subiecto communiter quidem & indifferenter attribuuntur humana & diuina, sed non nisi secundùm aliam tamen & aliam naturam.

In comm. 1. ad Cor. 15. Ergo rectissimè venerabilis Beda: Cùm aliqua, inquit, in scripturis de Christo dicuntur quibus demonstratur quòd Patre sit minor, (talia sunt omnia humana) ea secundùm humanitatem dicantur; cùm verò ea dicuntur quibus Patri demonstratur æqualis, (talia sunt omnia diuina) ea secundùm quod Deus est, accipiantur. Et ante Bedam D. Augustinus: Cognita, inquit, ista regula intelligendarum scripturarum de filio Dei, vt intelligamus quid in eis sonet secundùm formam Dei in qua æqualis est Patri, & quid secundùm formam serui in qua minor est Patre, non conturbabimur, tanquàm contrariis & repugnantibus sanctorum librorum sententiis. In quam sententiam multa etiam disserit in aliis locis eiusdem libri. Nec dissentit Gregorius Naziãzenus: Vno, inquit, capitulo moneo vt altiora asscribas diuinitati, humiliora autem naturæ humanæ attribuas, quæ ex parte nostræ infirmitatis assumpta est. Tum S. Ioannes Damascenus: Diuinitatem dicentes non de illa nominamus ea quæ sunt propria humanitatis: neque de carne prædicamus quæ sunt diuinitatis propria. Non enim dicimus Deitatem aut passibilem aut creatam: neque dicimus humanitatem increatam. At verò de hypostasi, siue ex vtraque (vt cùm dicimus Christum) siue ex altera natura (vt

Lib. 1. de Trin. cap. 11. Vide etiã eodem lib. ca. 7. & 13.

In oratione de filio.

Lib. 3. fid. ortho. do. cap. 4.

ra(vt cùm dicimus Deum vel hominem) eam nominemus vtriuſque naturæ propria ei addicimus. Hactenus illc. Neque in re iam perſpicua neceſſe habeo prolixè prætereà referre quæ ſimiliter de hoc notant Athanaſius, Ambroſius, Leo &c. Exponitur eadem ſentiendi & loquendi regula in Concilio Hiſpalenſi ſecundo, & aſſeritur eruditiſſimè ex ſcriptura ſacra & ex S.S. Patribus. Contra hanc igitur regulam & orthodoxam doctrinam perſpicuum eſt facere Sectarios, cùm vtriuſque naturæ attributa de Chriſto indifferenter affirmant ſecundùm naturam vtramlibet.

Athanaſ. lib. 4. contra Arr. Ambroſ. lib. 2. de fid. ad Gratian. cap 4. Leo, Epiſto. 23. quæ eſt ad Paleſtinos.

Sed ad eorum argumenta modò reſpondendum eſt. Quæ quidem ſunt duplicis generis. Nam quædam ex nonnullis ſcripturæ & Patrum teſtimoniis, perperam à ſe intellectis; quædam ex ratione ducunt. Quod ad teſtimonia attinet, omnino nullum ex illis eſt quod non poſſit commodiſſimè conuenienterque orthodoxæ doctrinæ accipi aliquo ex quatuor modis.

Teſtimonia quibus abutuntur Aduerſarij, aliquo ex quatuor modis intelligi debent.

Primò enim quarundam ſententiarum, ſeu ſcripturæ ſeu Patrum, ſimpliciter eſt ſenſus, CHRISTVM omnino eſſe DEVM, omnipotentem, infinitæ maieſtatis, æternum, atque æqualem Patri. Hæ ſententiæ ſecundùm regulam iam antè poſitam intelligi debent, vt ſcilicet quæ ſunt eiuſmodi attribuamus CHRISTO non niſi ſecundùm diuinitatem. Huius generis ſunt illa teſtimonia; Dominus noſter IESVS CHRISTVS in gloria eſt DEI Patris. Et: Poteſtas eius poteſtas æterna. Si tamen de ea poteſtate hîc ſermo eſt quam CHRISTVS habuit diuinam prorſus abæterno. Iuxta illud: Clarifica me Pater claritate, quam habui apud te, priuſquàm mundus fieret. Vbi perſpicuum etiam eſt, Chriſtum de claritate maieſtate & gloria loqui quam habuit ab æterno non niſi vt DEVS.

1.

Ad Philip. 2.

Dam 7.

Ioan. 17.

Secundò,

Secundò, multorum etiam testimoniorum & scripturæ & Patrum sensus est, fuisse naturæ assumptæ, & quidem re ipsa communicatam personam diuinam, atque adeò plenitudinem diuinitatis. Sed id tamen ex orthodoxa sententia, quam initio explanauimus, ita intelligendum est, vt personam diuinam & diuinitatem, assumptæ naturæ attributã esse agnoscamus, non vt ipsa natura assumpta, vel Christus secundùm ipsam, quomodo isti temerè atque ignoranter finxerunt, sit diuina persona aut plenitudo diuinitatis, sed vt per illam hypostaticè subsistat. Atque hac quidem planissima firmissimaq; ratione pleraq; testimonia ab istorum tenebris & depratiatione facillimè vendicantur. Nam huius generis sunt illa quæ cumprimis vrgent: In ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Et: Pater diligit filium & omnia dedit in manus eius. Et: Donauit illi nomen quod est super omne nomen &c. Et: Sciat ergo omnis domus Israël quia & Dominum eum & Christum fecit Deus hunc IESVM, quem vos crucifixistis. Et: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Et: Sedit ad dexteram maiestatis in excelsis. Si tamen in his postremis locis potestatem & dexteram cum Damasceno interpretemur gloriam & maiestatem diuinitatis. Nam Augustinus per hæc intelligit potestatem Christi regalem & iudiciariam summamque beatitudinem secundùm Deum. Sed possunt & hæc si interpretationem Damasceni malint Aduersarij, de communicatione diuinæ etiam maiestatis ita vt explicatum est accipi; vt scilicet per illam subsistat assumpta natura. Diuinitatem autem eo modo datam esse post mortem & resurrectionem Christo scriptura sacra significat, non quia tunc primùm illam secundùm humanitatem acceperit; sed quia tunc manifestatum est vel certè tunc manifestari hominibus clarius cœpit, quòd antè in incarnatione acceperit. Visitata

Ad Col. 2. *Ioann. 3.* *Ad Philip. 2.* *Actor. 2.* *Matth. 28.* *Damasc. li. 1. c. 2.* *Aug. l. de fide & Symbolo, c. 7.*

tata enim scripturæ sacræ phrasis est vt tunc etiam fieri res dicatur cùm innotescit. neque id opus est prolixè confirmare cùm necessariò debeat etiam ab aduersariis admitti: nisi velint primùm post passionem & mortem Christi, peractum fuisse mysterium incarnationis, quo illa humanitas ad cõmunicationem cum diuina persona est euecta.

Quod autem de his scripturæ testimoniis iuxta hanc secundam interpretationẽ dicimus, idem ad innumeras sententias Patrum, quas Aduersarij non intellexerunt, accommodari debet. Quòd enim illi dicere passim solent, Humanam Christi carnem participem esse factam Deitatis, item Dei Verbum tradidisse corpori & animæ suæ suam vim atque diuinitatem: hæc, inquam, & alia similia communicationem significant qua plenitudinem diuinitatis assumpta natura acceperit, non nisi vt per illam subsistat. Ac iuxta hanc quidem interpretationem non inuiti recipiemus id, quod ex sententia quorundã Patrum isti notant, quæ Christo sunt attributa ex tempore, ea ipsi non secundùm diuinitatem sed secundùm humanitatem donata esse. Verissimũ enim est, Christum secundùm humanitatẽ accepisse, quæcumque accepit ex tempore. Sed diuina tamen ex tẽpore secundùm humanitatem minimè sic accepit, vt secundùm humanitatem sit & affirmetur esse illa diuina, sed vt per illa subsistat ipsius humanitas, sicut sæpe est dictum.

Tertiò, quoniam persona diuini Verbi facta per hoc mysterium est ipsius naturæ assumptæ persona: Videntur etiam quandoque Patres, quæ diuina sunt, ipsi assumptæ naturæ tribuere, non quia ipsa, sed quia sua ipsius, vt ita dicã, persona diuinam excellentiam atque dignitatem habet. Sic illud Damasceni intelligi debet: Diuina Christi voluntas æterna erat & omnipotens, humana verò eius voluntas à tempore cœpit. Vt autem verè & secundùm naturam Dei Verbi vo-

NOTA

Concil. Ephes. can. 12.

luntas FACTA est, omnipotens est. In quam sententiam illud etiam accipi potest in Concilio Ephesino: Si quis non confitetur carnem Domini viuificatricē esse, QVIA FACTA est propria Verbi cuncta viuificare valentis anathema sit. Quanquam si hunc locum de viuificandi virtute non diuinę naturæ ppria, sed humanitatis assumptæ intelligamus, quatenus per illam etiã Christus redemit atq; adeò viuificauit nos; aliter exponi potest. Erit enim sensus, ideo per vnionē accepisse humanitatem Christi virtutem sic viuificādi nos, quoniam per vnionem est factum vt esset humanitas Dei & hominis, qui cumulatissimè proinde nos redimere atq; viuificare potuerit. Item, si de virtute viuifica humanitatis & carnis Christi, per quam etiam tanquàm per instrumentum diuinitatis iusti demum reddimur, intelligatur ille locus; constat, nihil fauere Aduersariis, vt iam iam dicemus.

Quartò, Dubium non est quin omnia opera mirabilia, quæ vnquàm Christus gessit, quæque iam etiam in Ecclesiæ suæ gubernatione atq; conseruatione operatur, per humanitatem quoq; suam tanquàm per instrumētum operetur. Id cùm ita sit, solent eam ob causam quandoque Patres has Christi operationes attribuere item humanitati, non tanquàm formæ, quæ ita communicet operationibus diuinis sicut isti fingunt, sed tanquàm instrumento Christi diuinitatis. Hoc vult beatus Leo cùm inquit: Operatur vtraq; forma cum alterius cōmunione. Verbo scilicet operante quod proprium est, & carne exequente quod carnis est. Athanasius quoq; eodem modo illud scripsit: Deus vnitus homini edit miracula & operatur, non seorsim aut separatim à natura assumpta: sed per eam placuit illi suam potentiam exercere &c.

Leo epist. 10. ad Flavian.

Dialogo 3. contra Apollinaristas.

Accedit ad hæc, quòd Patres, quia non semper ad normam & amussim Dialecticarum regularū loquuti sunt, plerumq;

rumq; in hac materia abstractum nomen pro cõcreto vsurpârunt, id est humanitatẽ pro homine dixerunt. Quẽadmodum & contrà, concretum pro abstracto sæpius ponunt. Vt cùm passim dicũt, à diuino Verbo assumptum esse hominẽ. Ita vicissim, q̃ humanitati videntur quandoq; asscribere, nõ ipsi per se naturæ, sed homini Christo conuenire volũt, accipiuntq; abstractũ pro cõcreto. Quæ est ratio etiã non inidonea ad nonnulla testimonia explicanda ex iis quæ adulterãtur ab aduersariis. Atq; hæc quod attinet ad testimonia.

Iam ratione sic argumentantur. I, Si natura humana eatenus tãtùm esset vnita Verbo, quatenus à Verbo sustẽtatur vt Scholastici dicunt; consequeretur Verbũ diuinũ non esse hominem in actu primo, sed tantùm illam sustẽtare actu secundo, quod est, inquiũt isti, hæreticissimè dictũ. Item cõsequeretur, res oẽs mundi vnitas esse hypostaticè Verbo diuino, quoniam oẽs sustentanturab illo. Respõdeo, nihil minus quàm ista consequi. Etenim modus ille quo asserimus à Verbo diuino singulariter & ppriè sustentari naturã assumptam, non consistit in operatione siue effectione aliqua, quę est actus secũdus. Sed ipsa sua prima atq; intima perfectione personali atq; vi Verbum naturam assumptam sustẽtat terminando ipsam substantialiter & complendo, vt nõ per aliquid diuersum à Verbo quod illi per operationẽ aliquã seu actum secundum cõmunicetur, sed per ipsum Verbum constituatur in esse hypostatico. Ita fit vt Verbum sic sustentans assumptã naturam omnino in actu primo sit homo; quoniã sic illam sustentãdo, substantialiter sibi vnitam eam habet: homo aũt in actu primo non aliud veriùs dici potest quàm hypostasis seu persona habens humanitatẽ. Ex qua re perspicuum etiã est neq; illud alterũ ex nostra sententia consequi, nempe res oẽs vnitas esse Verbo hypostaticè. Sustentat enim res oẽs diuinum Verbũ, sed efficiendo, non aũt terminando & cõplendo hypostaticè.

Vide Thes. 42. Repetitionis Wittembergica.

2. Item argumentantur. Si cùm dicimus, Hic homo Christus est Deus, omnipotẽs &c. sensus est materialis; videlicet, Verbum diuinum siue Deus, sustentans humanam naturã, est Deus, omnipotens &c: perinde erit atq; dicere, Deus est Deus, omnipotens &c. Ita nihil hoc mysteriũ habebit singulare. Respõdeo. Aliquid amplius nihilominus eiusmodi propositionibus significatur, quàm si nudè dicerẽ, Deus, vel Verbum diuinũ est Deus &c. Indicatur enim, illum eundem qui est Deus, esse etiã hominem: atq; adeò duas naturas, diuinam & humanam, subsistere vno & eodem supposito. Vt si dicã, Album est dulce; certè aliquid amplius dixero, quàm si simpliciter dicerem, Dulce est dulce.

3. Communicatio idiomatum per quam attributa diuina prædicantur de homine Christo, realis est, non verbalis tantùm. Sed si in eiusmodi enunciationibus humanitatẽ à subiecto excludamus, communicatio non erit nisi verbalis tantùm. Ergo nõ debet excludi. Respondeo. Minor est omnino falsa. Nam communicatio & prædicatio tunc est realis, cùm non modò prædicati vocem ad subiecti vocem enunciando referimus, sed etiã rem per prædicatũ significatam attribuimus illi rei pro qua ponitur vox subiecti. Ita realẽ in ppósito communicationem prædicationemq; facimus hoc ipso, quòd attributa diuina affirmamus de ipso suppósito naturę humanæ, pro quo maximè in illis propositionibus ponitur illa vox subiecti, Christus vel homo. Neq; ẽm cõmunicatio idiomatum diuinorum & humanorum esse potest nisi in eo, quod in Christo est re ipsa cõmune & vnicum. Id autem, vt cõtra istorum ignorantiã suprà quoq; argumentabamur, est non aliqua vna natura, sed vnicum suppositum.

4. Vrgent quoque argumentum ex similitudine animæ & corporis ductum, quod possumus ex ipsorum mente atque sententia ita formare. Natura diuina & humana sic vniuntur

tur in Christo, quomodo vniuntur anima & corpus in homine. Sed anima per eam vnionem ita suas energias omnes corpori cõmunicat vt nihil faciat nisi in corpore & per corpus, vicissimq; corpus omnia per animam faciat, quæcunq; in ipso & per ipsum facit anima. Ergo pari modo natura diuina per hanc vnionem ita communicat energiam suam omnem assumptæ naturæ vt omnia quæ facit faciat cum & per naturam assumptam. Maior patet ex Athanasij Symbolo. Sicut anima inquit, & corpus vnus est homo ita Deus & homo vnus est Christus. Minorem ostendere nititur Schmidelinus in omnibus operationibus animæ. Nam & intellectionem ipsam, inquit, non efficit nisi per corpus. Iuxta illud Philosophi: Necesse est intelligentem, phantasmata speculari. Deinde id ipsum de intellectione, in qua potissima difficultas est probat illis scripturæ testimoniis: Non dedit tibi Dominus cor intelligens. Et, Dedi tibi cor sapiens & intelligens. Quod nobis inquit Schmidelinus interpretentur Iesvitæ, adeòque omnes Philosophi. Respondeo duplex esse in argumento vitium & vtrumque maximum. Vnum est, quoniam vt ex similitudine duarum rerum concludas in altera id determinatè quod velis, probare necesse est similitudinem esse quoad omnia. Nam si quo ad aliqua tantũ similitudo est, non est consequens vt sit determinatè quo ad illud de quo quæstio est. Similitudinem autem illam animę & corporis, certissimum est non esse quoad omnia. Ita malè atque ineptè sumitur ea similitudo in maiori argumenti propositi ad concludendum id quod isti determinatè volunt. Est enim vtriusque vnionis similitudo non secundùm omnia, sed tantùm secundùm aliqua; & ex his ipsis quædam nihil istorum opinioni suffragantur, quædam aduersantur prorsus. Similitudo enim est primò, quia vt ex anima & corpore, ita ex natura diuina & humana vna existit substantia,

Deut. 29.

1. Reg. 3.

In Repet. VVit. prop. 108.

Quatenus vnio anima & corporis vnioni hypostatica in Christo sit similis.

quæ est vna Christi persona. Secundò, quia sicut non obstante ea vnione corporis & animæ, manet corporis & animæ differentia & distinctio, ita etiam vnio diuinæ naturæ & humanæ nihil impedit quo minùs differant omnino hæ naturæ. Hæc perspicuum est nihil omnino suffragari Aduersariorum opinioni. Alia verò illam etiam euertunt. Nam tertiò est similitudo, quoniam sicut per illam animæ & corporis vnionem non fit, vt arcano & ineffabili modo corpus sit anima: ita neq; in proposito fit, vt arcano modo humanitas, vel, quod idem est, Christus secundùm humanitatem sit Deus, omnipotens. &c. Quartò est item similitudo quia vt per illam vnionem corpus non redditur æqualis perfectionis cũ anima; neq; etiam suscipit secundùm se prædicationes proprias animæ; (non enim secundùm se intelligit, nõ vult, non est substantia spiritualis, nec cætera quæ conueniunt animæ) ita neque humanitas vel Christus secundùm humanitatem fit per vnionem æqualis maiestatis cum diuina natura, neque etiam recipit secundùm se prædicationes proprias diuinæ naturæ, vt scilicet secundùm humanitatem sit infinitus, æternus &c. Perspicuum est igitur similitudinem illam in multis aduersari, vt diximus, istorũ figmento: atq; adeò vitiosè ab illis Maiorem illam argumenti sumi, cùm possit in ipsos retorqueri.

Est etiam in eo argumento aliud vitiũ. quoniam Minor est prorsus falsa. Falsum enim & inauditum est quòd corpus ipsum intelligat; & multò magis quòd etiam velit. Neque enim à ministerio phantasiæ sic anima, cũ intelligit aut vult, dependet, vt intellectio aut volitio sint actus phantasiæ atque corporis. Sed alius est ille modus dependentiæ, nempe, vt homines doctissimi appellant, obiectiuus; quoniam nequeat intellectio alicuius rei esse, cuius rei non fuerit etiam aliquo modo actus phantasiæ. idque propter subordinationem

nem potentiarum vnius & eiusdem hominis; iuxta vulgatũ Theorema, nihil est in intellectu quod nõ priùs fuerit in sensu. Quod autẽ attinet ad scripturæ testimonia quibus etiam Schmidelinus id probare est conatus; certissimum est, cor ibi sonare metaphoricè, significareque non partem certam corporis, sed animum vel potiùs animi dispositionẽ aptam vel ineptam ad intelligendum. Vt cùm Dominus alibi dicit, Auferam à vobis cor lapideum & dabo vobis cor carneum, minimè quidem corporis illud membrum intelligit, sed animi dispositionem mutabilẽ. Quocirca frigidissimũ est sanè quòd Schmidelinus interrogat, an in illis locis Spiritus sanctus impropriè loquatur? Metaphoricè certè loquitur quemadmodum aliâs sæpe: idque cordis vocabulo significat quod est in animo, sicut cor in humano corpore præcipuè curandum, nimirum animi habitum atque dispositionem.

Ezech. 36.

In Repet. Vbiq. prop. 11a.

Atque hactenus quidem, quod nobis erat propositum, fundamentum ipsum Vbiquetarij commenti, hoc est monstrosum dogma istorum de hypostatica duarum naturarum vnione, satis, vt opinor, euersum est. Nunc vt tractatio sit vberior, ipsam etiam Vbiquetarij phantasmatis structuram per se demoliemur, hoc est breuiter ostendemus, sicut fundamentum est vanum, sic etiam assertionem ipsam Vbiquetariam perse prorsus leuissimam esse; tum etiam nonnullis aliis argumentis respondebimus quibus præterea nituntur isti probabilẽ reddere eam inuentionem.

Ergo vt vbiquitatem statuant, tripliciter Christi corpus considerant. Primò physicè. id est secundùm conditionem quam habet ex natura sua. Quo pacto negant illud esse vbique. Secundò quatenus est gloriæ dotibus præditum. Et neque isto modo illud vbique adesse volunt. Tertiò secundùm maiestatem, vt inquiunt, quam adeptum sit ex vnione cum diuino

Vide Repet. Vbiq. prop. 23a. & seq.

diuino Verbo hypostatica. Atq; ita contendunt, illud à momento quidem incarnationis potuisse esse vbique: fuisse autem certè post resurrectionem. quòd tunc demùm Christus vsurpare cœperit attributa diuina: ex quibus vnum est vbiquitas siue omnipræsentia. Nos verò cùm æqualitatem hanc commentitiam maiestatis cum Deo antè cõfutauerimus; ipsam etiam vbiquitatem super eo commento extructam planè quoque euertimus, ac nunc etiam vt proposui magis conteremus.

Qua sanè in re minimè argumentis ego probare contendam ne per potentiam quidem Dei absolutam fieri posse, vt corpus aliquod creatum sit præsens omnibus in locis. Vident enim, qui doctiores sunt, qua ratione vnum corpus in pluribus locis sine repugnantia esse posse defenditur, eadẽ ratione defendi posse quòd sine repugnantia esse possit in omnibus locis per Dei potentiam absolutam. Neque obstat quod nonnulli Patres sensisse videntur Vbiquitatẽ esse Dei propriã; maximè cùm ex eo diuinitatem Spiritus sancti probant, quòd ille sit vbique: quasi nequeat prorsus quòd creatura sit esse vbique. Hoc inquã non obstat. Nam omnipræsentiam illi Patres intelligunt naturalem, qua scilicet non aliena virtute sed suapte natura res existat vbique præsens. Talem enim omnipræsentiam Spiritui sancto competere, planè significat sacra scriptura. Et huiusmodi omnipræsẽtiam certum est creaturæ conuenire nullo modo posse; cùm sit propria diuinitatis. Nos autem ex sententia doctissimorum non nisi alterius modi omnipræsentiam siue vbiquitatem conuenire creaturæ posse per Dei potentiam absolutam arbitramur; vt scilicet supra naturam suam & aliena virtute id habeat. Quod sanè neque Augustinus in eo loco negare voluit vbi tractans quemadmodũ Christi corpus non sit vbique, videndum esse monet, ne si vbique diffusum esse asse-

Ambr. lib. 1. de Spir. sancto c. 7. Hieronym. & Cassio. dor. in illud Psal. 138. Quo ibo a spiritu tuo. &c. Vide B. Damas. lib. 1. fidei orth. cap. 17. Sepi. 2. Psal. 138. Vide Ambr. loco citato.

In epist. ad Dardan.

asseratur, euacuetur veritas ipsius. Hoc enim ille scripsit, nõ quia senserit Christi corpus nõ potuisse per Dei potentiam poni supra naturæ suæ conditionem vbique. Sed cùm nequeat vel ex incarnationis mysterio (vt ibi Augustinus ex instituto ostendit) vel alio modo confirmari, quòd supra naturam & conditionem suam diuinitus collocatum sit vbique; si quis illud corpus vbique iam esse temerè contendat, videre is debet ne ipsum faciat phantasticum minimeq; verum corpus humanum; quasi in eam nimirum conditionem & qualitatem iam euaserit, vt per se diffundatur (vt Augustinus in eo loco loquitur) vbique ac omnia loca occupet.

Vt maximè igitur humanitas Christi possit diuinitus poni vbique; assertionem tamen esse hæreticam quòd ea iam vbique sit, hoc argumento demonstro:

A plano & proprio & perspicuo scripturæ diuinæ atque etiam doctrinæ omnium Patrum sensu non potest sine absurditate & hæresi recedi obiiciendo eiusmodi mysterium, quod & antea in Ecclesia prorsus inauditum sit, & nullo scripturæ aut Patrum testimonio, vel etiam rationis momento conuinci possit.

Sed hoc prorsus facit dogma Vbiquetarium.

Ergo absurdum & hæreticum dogma est.

Maior est firmissima. Quoniam si eiusmodi licentia cõcedatur, nihil omnino ex diuina scriptura poterit in Ecclesia probari & retineri tanquàm certũ & indubitatum. Et cùm, autore Augustino aliisq; Patribus, intelligere propriè debeamus eos scripturæ locos, qui sine incommodo propriè possunt intelligi: quãto illi loci magis intelligi planè ac propriè debebunt, qui aliter intelligi nõ possunt nisi recurratur ad fictitium miraculum?

Minor autem probatur. Quoniam plurima sunt scripturę sacrę & antiquitatis testimonia, quę plano & proprio sensu prorsus significant, Christum etiam post resurrectionem abfuisse simpliciter ab aliquibus locis vt hominem: non minùs certè quàm abest quispiam alius homo à loco vnde discedit, in quo nullo modo manet secundùm substantiã suam præsens. A sensu verò proprio atq; plano testimoniorum eiusmodi propter mysterium Vbiquetarium, quod à sæculo non erat auditum, quodque, vt partim vidimus, partim videbimus, nullo firmo argumento comprobari potest, recedunt isti, cùm respondent nobis abfuisse Christum ab aliquibus locis non omninò sed secundùm conditionem physicam & gloriosam sui corporis; secundùm maiestatem aũt, quam fingunt hypostaticæ vnionis, fuisse & esse post resurrectionem substantia sua in circumscripto & arcano modo reuera præsentem in omnibus locis. Eius verò generis testimonia sunt hæc: Surrexit, NON EST hîc. Et ibidem: PRÆCEDET vos in Galilęam. Et, VADO parare vobis locũ. Et, si ABIERO iterum VENIAM. Et, VENIT IESVS ianuis clausis, & stetit in medio. Et: ACCEDENS IESVS dixit eis: Pax vobis. Et, INTRAVIT cum eis. Et ibidem, Cùm benediceret eis RECESSIT ab illis, & FEREBATVR in cœlum. Et, Videntibus illis ELEVATVS est. Tum etiam Angeli ibidem, Hic IESVS qui assumptus est, sic VENIET quemadmodum vidistis eum EVNTEM in cœlum. Hæc omnia, non esse hîc, recedere, accedere, ire, venire, intrare, abire, eleuari, ferri, ascendere, dubium non est quin propriè vel absentiam significent ab aliquo loco, vel aliquid certè quod cum absentia ab aliquo loco coniunctum est, videlicet localem motum. Quæ isti propter fictitium suum mysterium Vbiquetarium peruersè, vt dixi, interpretantur de absentia nõ substantiali omnino, sicut testimonia sonant, sed vnico duntaxat vel altero modo. ad

Marci. 16. *Ioan. 14.* *Ioan. 20.* *Matth. 28.* *Luca 24.* *Act. 1.*

eamq;

eamq; rem, vti euadant, alia pleraq; absurdissima confingũt. Nam articulum ascensionis re vera negant, cùm comminiscuntur nõ planè vlterius Christum ascendisse cùm ex discipulorum oculis sublatus est, sed illis disparuisse. Item cœlos, in quos ascenderit, fingunt commenticios, quos vocant Theologicos scilicet, aiuntq; illos esse omnem locum vbi præsens adest diuinitas. Ita cœlos istiusmodi esse quoque in inferno, & damnatos esse in iis cœlis ad quos Christus ascendit, & alia huius generis plenissima absurditatis concedere coguntur, vt ex altercationibus præsertim Schmidelini & Brentij cum Bullingero & ministris Tigurinis cognosci potest. Quæ omnia non modò Theologis monstrosa vidẽtur, sed etiam à communi fidelium sensu & consensu abhorrẽt. Omnis enim Ecclesia, quæ per cunctum orbem est, nouit & confitetur, Christum ex monte Oliueti verissimè ad cœlum vsque quod supra nos est ascendisse, ibiq; omnino consedisse ac nunc etiam sedere ad Dei dexterã, id est potestate iudiciaria atq; regia ac bonis ipsis Dei perenniter gaudere ac securè perfrui, sicut D. Augustinus eam sessionem interpretatur. Quamuis in qua ille nunc parte cœli, vel quo ibi nunc situ corporis existat, minimè quidem constat. Præclarè enim Augustinus: Credimus, inquit, Christum in cœlum ascendisse; quem beatitudinis locũ etiam nobis promisit, dicens: Erunt sicut Angeli in cœlo. Tum paucis interpositis, quibus ibi contra Philosophos ostendit, quemadmodum corpora terrena in illam cœlorum puritatem & stabilitatem inferri possint; ita subiungit: Sed vbi & quomodo sit in cœlo corpus Dominicum, curiosissimum, & superuacaneum est quærere: tantummodò in cœlo esse credendum est. Hæc ibi Augustinus.

Absurda Vbiquetaria.

Lib. de fide & Symb. c. 7.

Loco citato.

Porrò simili absurditate Vbiquetarij corrumpunt æquè plana testimonia antiquorũ Patrum, qui perspicuis senten-

Athanasius in disp. contra Arrium.
Cyrillus l. 9. in Ioann. c. 21. & lib. 11. c. 21.
Orig. Homel. 33. in Matth.
Fulgentius lib. de immensit. filij Dei.
August. tum alibi tum expresse in epist. 57. & alij Patres communiter. de quo vide Theodoret. dialogo 1. 2. & 3. & Vigilium Martyrem li. 2. contra Eutych.

tiis simpliciter asserũt Christi absentiam ab aliquibus locis. Et Augustinus quidem non modò fictitiam istam vbiquitatem apertissimè negat, sed perinde prorsus ac si contra istos hoc tempore disputationẽ suscepisset, ex professo in epistola ad Dardanum demonstrat, quemadmodum ex incarnationis mysterio minimè sit consequens, vt Christi humanitas præsens adsit vbicumque est Deus. Sed quia diximus, mysterium Vbiquetarium, propter quod isti & scripturæ & antiquitatis testimonia adulterant, nullo modo confirmari posse; id iam planiùs demonstrandum est respondendo ad eorum argumenta.

1. Ac potissimum quidem ex vnione hypostatica petunt, per quam fingunt in assumptam humanitatẽ transfusa esse omnia Dei attributa, è quibus vnum est Vbiquitas. Sed hoc illorum fundamentum suprà euertimus. Et si quid illi inde probarent, non tantùm post resurrectionem sed etiam ab incarnationis momẽto probarent Christi corpus fuisse vbique. Est enim, vt suprà ostẽdimus, eiusmodi attributum vbiquitas, vt si habetur, omnino nequeat non vsurpari, cùm cõsistat in quodam velut actu secundo & vsu diuinæ immẽsitatis. Christum autem à momento incarnationis fuisse secundùm humanitatem vbique, primùm pugnat cum articulo fidei de ipsius ex vtero Virginis natiuitate. Deinde etiã cum perspicuis Euangelij locis, vnde cõstat ipsum passim ex vno loco in alium cõmigrâsse, & alicubi absentem fuisse. Quod & ipse dissertè testatus est apud Ioannem: Gaudeo, inquit, propter vos vt credatis. Quia NON ERAM ibi. Quo ex loco etiam Patres in altera Synodo Nizena probauerũt, Christi corpus non vbique præsens, sed vno aliquo in loco fuisse circumscriptum.

Matth. 4. 8. 12. 14. 16. &c. Marci. 1. 5. Ioan. 2. & alibi passim.
Ioann 11.
Conc. Nizen. 2. actio. 6.

2. Præterea argumentantur: Christi humanitas est & subsistit in persona Verbi diuini. Ergo vbicunque est persona Verbi

Verbi diuini ibi est humanitas. Respondeo, consequentiam esse nullam. Nam vt humanitas intelligatur subsistere per Verbum diuinum, satis est si Verbum diuinum sit vbi est illa humanitas: neque contrà oportet humanitatem esse vbicũque est Verbum diuinum. Humanitati enim vnus locus abundè satis est vt à præsente sibi Verbo diuino subsistentiã accipiat. Quemadmodum, vt manus subsistat suo modo per animam, satis illi est vt vbi ipsa est, ibi etiam sit anima; neque necesse est vt ibi sit manus vbicũq; est anima, videlicet in pede & in capite. Sic & nos, vt nostro quodã alio modo sustentemur & conseruemur per virtutem diuinam, satis est vt vbi nos sumus ibi sit Deus, neque oportet vt ipsi simus vbicunq; est Deus. Quod etiam exemplum ob analogiam est sanè optimum, & à D. Augustino ad hanc ipsam rem declarandã vsurpatum. Is enim ad argumentum hoc Vbiquetariorum in forma planè id, quod à nobis iam dictum est, respondit. Non est, inquit, consequens vt quod in Deo est ita sit vbique vt Deus. Nam & de nobis veracissima scriptura dicit, quòd in illo viuimus, mouemur, & sumus. neque tamen, sicut ille, vbique sumus. Sed aliter homo ille in Deo. quoniam aliter Deus in illo homine, proprio quodam & singulari modo. Vna enim persona Deus & homo est, & vtrunque est vnus Christus: vbique per id quod Deus est, in cœlo autem per id quod homo est. Hactenus ille. Ex quo loco satis manifestum est, Augustinum non tantùm negauisse quòd humanitas Christi sit vbique naturaliter, sicut ipse Deus; vt frigidè admodùm & falsò Vbiquetarij conantur interpretari Augustinum; sed vult prorsus illam humanitatem nullo modo vbiq; præsentem esse propterea, quòd in Verbo diuino subsistat. Quemadmodum neque nos (vt ibi Augustinus inquit) sumus vllo modo præsentes vbicunque adest Deus; etiamsi in illo quodam alio modo viuamus & simus.

Aug. Epist. 57. de præsentia diui. ad Dardan. q. 1.

Act. 17.

3. Sed confirmare velle videntur argumentum præcedens hoc modo: Etsi membrum aliquod determinatum, non sit vbicunq; est anima; at vbicũq; anima est necessariò est illud corpus cui ipsa est vnita, idque propterea quòd ex anima & corpore (quamuis non solis) cõstituitur etiam hypostasis: & similiter vbicũq; est personalitas seu subsistẽtia nostra, ibi est etiã nostra humanitas, quoniã ex vtroq; fit vna persona. Sed nõ minùs ex subsistẽtia Verbi & humanitate Christi cõstituitur vna quędam hypostasis & persona. Ergo vbicunq; est subsistentia Verbi ibi necessariò est Christi humanitas. Respondeo, falsum illud esse quod in Maiori sumitur; scilicet causam, cur vbi anima est, ibi sit corpus, & cur etiam vbi subsistentia nostra est, ibi sit nostra humanitas, esse propterea quòd ex corpore & anima, & ex subsistentia nostra ac humanitate constituatur vna hypostasis, & persona. Non ob eam rem propriè, sed ob singularem conditionem animæ atque subsistentiæ nostræ id euenit. Quia enim anima naturaliter est propria forma sui corporis; & subsistentia nostra naturaliter etiam ad eam rem facta est vt terminet hypostaticè naturam tantùm nostram: idcirco neq; anima vltra proprium corpus, neq; subsistentia nostra vltra propriã naturam sese potest extendere. Ita fit, vt corpus, nõ quia in eadẽ hypostasi sustentatur a anima, sed quia eius, de qua dictum est, conditionis est anima, ibi sit vbicunque est anima: atque item vt natura nostra, non quia sustentatur a nostra subsistentia, sed quia subsistentia nostra talis est, qualẽ diximus, ibi sit vbicunque nostra subsistentia reperitur. In proposito autem longè dispar est ratio. Nam cùm vis atque perfectio quæ est in subsistentia Verbi ad terminandũ naturã aliquam hypostaticè, sit simpliciter infinita: neque naturaliter sit tantùm ad eum finem vt humanitatem sustentet: Latiùs patet, & ibi esse potest, vbi non est humanitas. Quare nihil

Cur sit corpus vbicunq; est anima, & personalitas nostra vbicunq; est nostra natura.

est

est vnde colligi possit, ibi humanitatem esse, vbicunque est Verbi subsistentia. Non enim id inde propriè colligitur quoniam illa humanitas à subsistentia in vnitate personæ sustentatur: Siquidem id optimè hoc ipso solùm intelligitur quòd vbi humanitas est, ibi est Verbi subsistentia, sicut ad argumentū prçcedens dicebamus. Neq; rursus subsistētiç Verbi talis cōditio est, qualis est illa animæ & subsistētiæ nostræ, vt inde similiter colligi possit, ibi humanitatē esse vbicūq; est verbum. Quòd si exemplum simile conferre volumus, non cū vnione animæ & corporis neq; etiā cum vnione subsistētiæ nostræ & nostræ naturæ, sed cum vnione animæ & certi alicuius membri, itemq; subsistentiæ nostræ & etiam membri alicuius comparare debemus vnionem illam subsistentiæ Verbi diuini & humanitatis. Hoc modo ratio similior erit. Nam vt membrum aliquod & sustentatur & exceditur ab anima & à subsistentia nostra: sic etiam humanitas & sustentatur & exceditur à Verbi subsistentia. Ita potiùs sequetur, non ibi esse humanitatem vbicunque est Verbum: quemadmodum etiam neque ibi est pes aut manus vbicunque est anima vel subsistentia nostra. vt ad alterum quoque argumentum respondebamus.

4. Pergunt autem sophisticè vel insciti potiùs hunc in modum argumentari: Filius Dei vbique est homo. Ergo vbique est etiam eius humanitas. Nego consequentiam. Solum enim sequitur quòd Filius Dei vbique est is qui sustentat hypostaticè, quique adeò habet humanitatem: tametsi hæc non nisi alicubi existat. Dicam & alio modo. Vt Filius Dei vbique sit homo, non necesse est vt vbique sit eius humanitas: Sed sufficit vt vbique sit habitudo quædam Filij Dei ad humanitatem tanquàm sustentantis hypostaticè ad rem sic sustentatam. Quam rem exemplis etiam similibus illustrarem si non esset per se satis clara.

5. Ac.

5 Accommodant præterea ineptissimè ad suam opinionem quædam scripturæ loca. Vt, Ego vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi. Item: Vbicunq; sunt duo vel tres cõgregati in nomine meo ibi sum in medio illorum. Et, Dominare in medio inimicorum tuorum. Et, Ascendit super omnes cœlos, vt impleret omnia. Respondet ad primum locum D. Augustinus, impleri promissionem illam secundùm maiestatem diuinitatis (hanc enim manifestè ibi intelligit) Christi, item secundùm prouidentiam, secundùm ineffabilem & inuisibilem gratiam. Secundùm carnem autem atque humanitatem Christi, dicit Augustinus impleri illud alterum: Me autem non semper habebitis. Item respondeo, promissionem illam impleri secundùm Christi præsentiam in sanctissimo Sacramento donec veniat, vt Apostolus inquit. Nam neque huiusmodi præsentia negatur ab Augustino sed potiùs asseritur, vt pòst videbimus, ab eo atque ab aliis Patribus, & constat aliunde certè grauissimis ac firmissimis argumentis. Quod verò attinet ad reliqua loca per istos citata, nemo est præter ipsos qui non intelligat, illa secundùm gratiam vel prouidentiam vel spirituale regnum atq; virtutem quæ ad omnia se extendit, accipi debere. Et sanè illud: Vbicunque sunt duo vel tres &c. perquàm absurdè & ridiculè ad institutum suum isti accommodant. Quid enim de loco dicent, vbi non sunt aliqui congregati in nomine Christi? An non etiam ibi vbiquitatem illam, pro qua contendunt, habebit? Certè nullum dubium est quin sermo sit in eo loco de alio quodam præsentiæ modo, scilicet secundùm protectionem vel gratiam. Sic quod Apostolus inquit Christum ascendisse super omnes cœlos vt impleret omnia id primùm ad virtutem Christi, qui ascendens in altum omnis generis donis Ecclesiam compleuit, meritò potest referri. Nam præclarè libro nono in Ioannem diuus Cyrillus:

Aug. Tract. 50. in Ioannem.

Matth. 26.

1. Cor. 11.

Vide D. Cyril. lib. 9. in Ioan. cap. 21.

rillus: Credere, inquit, oportet fideles, quãuis à nobis Christus corpore abſit, virtute tamen ſua omnia & nos gubernari &c. Nam quemadmodum quando vt homo in terris cõuerſabatur, tũc etiam cœlos implebat & Angelorum conſortia non relinquebat; ita modò cùm ſit in cœlis cum carne terram tamen replet, & cum eis eſt qui eum diligunt. Deinde mihi maximè ſecundùm literam illa interpretatio eſſe videtur, quæ placuit etiam D. Thomæ. Vt ſcilicet impleuiſſe omnia hîc ſit, peregiſſe Chriſtũ atq; adeò adimpleuiſſe omnia myſteria quæ de ipſo fuerãt ante præſcripta, è quibus vnum fuit illa aſcenſio in cœlum. Neque enim hoc loco aduerſarij authoritatem D. Thomæ cõtemnere poterunt, niſi ſimul etiam authoritatẽ Chriſti ſermonis apud Lucam contemnant, qua D. Thomas appoſitiſſimè ſuam cõfirmauit expoſitionem. Etenim eodem prorſus dicendi modo atque phraſi Chriſtus vſus eſt inquiens: Oportet IMPLERI omnia quæ ſcripta ſunt in lege & Prophetis & Pſalmis de me. Quaſi diceret: Paſſus & crucifixus ſum vt implerem omnia. Cur non etiam eodem modo intelligi poteſt, quod ſcripſit D. Paulus, aſcendiſſe Chriſtum ſuper omnes cœlos vt impleret omnia? Certè id etiam inter cætera ſcriptum erat in Pſalmis de Chriſto.

Lorin. 2. in epiſt. ad Epheſ.

Luc. 24.

Pſalm. 46 et 67.

5. Vrgent quoque ſeſſionem ad dexteram Dei. Quoniam dextera hæc, inquiunt, eſt Dei omnipotentia atque immenſitas, quæ eſt vbique. Ergo Chriſti etiam humanitas, in ea dextera ſedens, omnino eſt vbique. Reſpondeo, nullum prorſus eſſe momentum eius argumenti. Nam vt maximè per Dei dexteram diuinitatem aut potentiam diuinam intelligamus; ſuprà docui, quemadmodum ad eam dexteram ſedeat Chriſtus, quatenus diuinam maieſtatem obtinet non vt ſecundùm naturam humanam ſit omnipotens aut vbique

que aut æternus &c. sed vt per eam plenitudinem diuinitatis subsistat vt suprà sæpius declaratum est.

6. Videntur etiam obiicere velle quòd aliâs Christus neque cognoscere omnia quæ ad homines pertinent, neque adeò regere atque gubernare illos posset, nisi ipsis adsit præsens. Sed hoc nugatorium & friuolum est. Quoniam & Sancti in cœlis, vt conuicimus alio loco, cognoscunt prorsus res nostras, quantumuis absentes. Quanto igitur magis ista cognoscet etiam absens Christus, qui & beatam & diuinitus infusam scientiam habet absolutissimam?

In Apologetico de idololatria, cap. 6. Videsis in Confutatione Spongiæ Herbrandina.

Postremò calumniantur, nos cùm maiestatem humanæ Christi naturæ inferiorem diuina maiestate & superiorem tantùm cæteris omnibus creaturis facimus, mediamque adeò illam inter diuinam & creatam dignitatem constituimus, nihil amplius illi tribuere quàm Alcoranum Turcicum; cuius hæc sint verba: Omnium prophetarum vnum superalium per me sublimato. et quibusdam cum Deo loquutis Christo Mariæ filio animam nostram propriè conferentes vim & virtutem præ cæteris tribuimus. Respondeo. Primùm non videtur Christum etiam præferre sibi ipsi. Deinde minimè tribuit illi, sicut nos, æqualitatem etiam cum Deo, ratione hypostasis ac personæ ipsius propriæ. Quare calumnia hæc est aduersariorum improbissima: neque tantùm isto modo nobis, sed Apostolo etiam poterunt, si blasphemare placet, opinionem Alcoranicam exprobare. Is enim apertissimè quoque maiestatem Christi inter diuinam & creatam dignitatem similiter constituit mediam, vbi disputat, omnia esse Christo subiecta præter illum cui ipse etiam Christus vt homo subiectus est. Quid hoc aliud est, quàm Christi maiestatem illo modo esse mediam, id est, superiorem creaturis omnibus, sed inferiorem tamen Deo, qui illi subiecit omnia?

In repetitione Vvitembergica. propos. 131. & 136.

Ad Ephes. 1. & 1. Cor. 15.

Desi

Desinant igitur homines contentiosissimi, dum commentitia dignitate Christum ornare videri volunt, vera illum atque sua maiestate expoliare. Habet non solùm vt Deus maiestatem diuinam & Patri suo æqualem, verùm etiam vt homo dignitatem eximiam secundùm Deum, & prorsus singularem; sed quæ hominis esse dignitas possit, non quæ sit DEI propria. Ideo non persona diuina, non Deus, non infinitus, non omnipotens, non vbique præsens est, quatenus est homo; quoniam reuera tunc non esset homo. Sed est Deus tamen infinitus, æternus, vbique præsens &c. secundùm personam atque suppositum suum proprium; est etiam secundùm humanam naturam tantæ maiestatis, quanta continetur primùm præstantia donorum omnis generis, & dignitate munerum præclarissimorum, Redemptoris, Mediatoris, Sacerdotis, Prophetæ, Regis, Legislatoris, Doctoris, Iudicis, &c: Deinde eximia beatitudine non animæ solùm sed etiam corporis post resurrectionem, cùm illius est fœlicitas atque gloria absoluta: Tum etiam notitia & celebritate nominis atque diuinitatis illius apud omnes gentes. Vt quemadmodum inquit Apostolus in nomine IESV omne iam genu flectatur, cœlestium terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Hæc illa Christi hominis maiestas est quam & Ecclesia Catholica agnoscit atque veneratur & scriptura sacra vbique prædicat. Hanc & nos Christi dignitatem libentissimè confitemur & suspicimus: æqualitatem autem maiestatis humanæ Christi naturæ cum Deo, & vbiquitatem in Sectariorum cerebro fabricatam, cum scriptura sacra, cum sanctis Patribus, cum vniuersa Ecclesia inficiamur, quoniam verè est figmentum plenissimum vanitatis.

Qualis reuerà sit hominis Christi maiestas.

Ad Philip 2.

Sed ad Sacramentarios iam transeamus. Cum quibus breuiùs de præcipuo tantùm, vt proposuimus, erroris fundamento disputandum est; quoniam vix quidquam est ab iis prætermissum qui contra istos accuratiùs scripserunt. Quanquam quædam adiungemus.

CONTRA SACRAMENTARIORVM FVNDAMENTVM,

PARS ALTERA.

DVABVS rationibus persuadent sibi Sacramentarij firmum id esse argumentum, quod ex doctrina de vnione hypostatica ducunt contra Christi præsentiam in sanctissimo Sacramento. Vna est, quia ne per potentiam quidem Dei absolutam fieri posse putãt, vt vnum aliquod corpus ampliùs quàm in vno loco sit præsens. Altera est, quia si maximè id fieri posset, tamen vnum ex naturalibus corporis attributis est præsentia in vno tantùm loco. His duobus principiis sumptis; atq; huc adhibita orthodoxa de hypostatica vnione doctrina, concludunt, Christum, quia & vnicum prorsus verum ac naturale corpus humanum habet, & vniuersa corporis humani attributa, humanasque omnes affectiones, excepto peccato, vna cùm natura humana susceperit; vnico tantùm in loco esse præsentem, nimirum in cœlo, vbi sine controuersia consedit ad dexteram maiestatis.

Sed homines errore atque pertinacia cæci, tum in altero principio sumendo, tum in altero ad propositum accommodando impingunt labunturq; turpissimè. Nam falsum est, corporis vnitatem nisi cum vnitate loci non posse vllo modo cõsistere, & ex eo, quòd Verbum diuinũ omnia corporis

poris attributa vnà cum humano corpore susceperit, absurdissimè colligitur, minimè posteà factum esse vt id corpus adsit in pluribus locis præsens Sacramentaliter.

Vtrumque ostendam, si prius aliquid de istorum hominum arrogantia atque temeritate dicam. Quamuis enim antiqui etiam Patres, sanctissimi & eruditissimi, in Eucharistiæ mysterio summam quandam esse difficultatem persenserint; minimè tamen ideo abierunt ipsi retro, remque fieri posse negauerunt. Quin potiùs quo mysterij rationem minùs ingeniis propriis peruestigare potuerunt, eo illi magis in ea re diuinam virtutem suspexerunt atque admirati sunt: illudque, quod est apud Augustinum, sapienter secùm reputârunt, posse Deum omnino efficere quæ ipsi intelligere nõ valerent. *Aug. Epist. 3. ad Volusianum.* Nostri verò Capernaitæ & Hæreticoiudei Sacramentarij dum perexiguæ rationis suæ finibus immẽsam Dei potentiam pueriliter circumscribunt, arrogantissimè negant potuisse Deum id facere quod ipsi non assequuntur. Quibus profectò vel vnius Cyrilli Alexandrini hac de re sententia maximum pudorem deberet afferre. *D. Cyrill. lib. 4. in Ioan. c. 13.* Is namque autor eruditissimus de hoc hominũ genere sic loquitur, ipsisque in hac disputatione incredulitatem exprobat his verbis: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum, de Deo non sine magna impietate conclamant, nec venit illis in mentem nihil esse impossibile apud Deum. Nam cùm animales essent vt ait Paulus, spiritualia intelligere non poterant: sed fatuitas quædam tam magnum sibi videtur mysterium. *1. ad Cor. 2.* Sed nos magnũ quæso à peccatis aliorum profectum faciamus, & firmam fidem mysteriis adhibentes, nunquàm in tam sublimibus rebus illud QVOMODO aut cogitemus aut proferamus. Iudaicum enim hoc verbum est, & extremi supplicij causa.

Verùm ad propositum reuertamur, ostendamusq; iudaicam hanc istorum cogitationem esse perfidissimam. Dicunt primò corpus verum & vnicum, quale Christus habet, ne per potentiam quidem Dei absolutam nisi in vno loco præsens esse posse. Hoc quidem dupliciter intelligi potest. Primùm ita locali & circumscripto modo, sicut video has voces ab aliquibus vsurpatas esse. Vt scilicet circumscriptè & localiter res esse in loco tunc dicatur, cùm non tantùm substantia sua re ipsa loco præsens est, neq; tantùm cõmensurata est loco, vt pars parti respondeat: sed etiam ita in loco aliquo includitur & circumscribitur vt nihil eius planè existat extra eum locum. Sic dubium nullum est, quin manifesta sit contradictio asserere rem aliquam simul esse posse in pluribus locis; quoniam esset ex hypothesi, & non esset extra quemlibet eorum. Ac non nisi isto modo animaduerto negauisse Doctores aliquos posse fieri virtute diuina, vt vna res collocetur atque circumscribatur in pluribus locis. Sed nõ est hoc tantùm quod aduersarij negãt. Quare altero modo id quod dicunt, intelligi volunt. Vt scilicet nequeat omnino vna res neq; cõmensurata loco neq; non commẽsurata esse simul substantia sua præsens in diuersis locis. Hæc verò vanissima opinio est, quæ tum scripturæ authoritate tum Patrum sententiis, atque etiam rationibus confutari potest. Quanquàm nobis quidem satis esset respondendo ad istorum ratiunculas, si quas proferrent, (nullas enim præter obstinationem video) defendere, quòd per omnipotentiam Dei id fieri possit. Sed probabimus etiam idipsum argumẽtis. Et quoniam optima quædã argumenta ex iis, quæ ad eam rem suppetũt, sine discrimine probant, vnũ aliquod corpus siue non cõmensuratum loco (vt Eucharistiæ mysterio fieri, à nobis defenditur) siue etiam cõmensuratum, esse posse variis in locis substantia sua præsens: nihil verebor illa etiã adducere.

ducere. Maximè cùm opinio quæ negat corpus in diuersis locis secundùm commensurationem esse posse, apud nos etiam reiici soleat tanquàm minus reuera congruens cum certissima fide istius magni mysterij.

Vnum corpus in variis locis esse posse probatur primò ex scriptura.

1. Ac ex diuina quidem scriptura huiusmodi argumentum conficio:

Quod diuinitus aliquãdo factum est, id sine omni dubitatione fieri diuinitus potest.

Factum est autem aliquando diuinitus, vt Christus corpore suo præsens simul esset in cœlo, & in terra vel penes terram.

Potest igitur fieri diuinitus vt Christi corpus, licet vnum sit, non vnico tamen adsit tantùm in loco, sed in pluribus re ipsa sit præsens.

Maiore nihil potest euidentius esse. Minor autem tum probata erit, cùm ex scriptura confirmauerimus ordine hęc duo. Primum. Ex quo Christus vidẽtibus Apostolis in cœlum assumptus est, nullo temporis momento abfuisse vel abfuturum esse à cœlo, donec mundum iudicaturus ita veniat quemadmodum discessisse visus est, vt Angeli significauerunt. 1. Secundum. Aliquando nihilominus accidisse, vt Christus, post ascensionem suam in cœlum, fuerit reuera corpore præsens in terra vel prope terram. 2. *Actor. 1.* Hæc duo cùm confirmata fuerint, Minor illa vt dixi probata erit. Nam si nunquàm non in cœlo, & tamen aliquando in terra post ascensionem fuit Christus, necesse est vt vno aliquo & eodem tempore in cœlo simul & in terra fuerit.

1. *Christum post ascensionẽ nunquàm abfuisse à cœlo.*

Probatur ergo illud primum illustri testimonio Dauidis: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Id est, vsque in finem vt interpretatur Apostolus. Cùm scilicet tradide- *Psalm. 109. 1. ad Cor. 15.*

tradiderit regnum Deo & Patri: cùm euacuauerit omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem. Sed & idem Apostolus multis modis significauit firmam prorsus atque stabilem esse in cœlo hanc Christi sedem ad Dei dexteram. Nam ob eam rem, verbis vsus maximè significantibus quandam in loco firmitatem, nunc illum in dextera magnitudinis CONSEDISSE; nuncibidem CONSTITVTVM esse dicit; nũc omnes hortatur, vt quia Christus EST ad dexteram Dei SEDENS, quæ sursum sunt sapiamus. Quæ profectò verba, postquàm Christus in cœlum conscendit, nullo non temporis momento vsurpari verè ad eam adhortationem potuerũt, Quod si ita est, semper Christus ad dexteram Dei fuit in cœlo sedens. Id verò est quod fuit nobis probandum primò.

Ad Hebr. 8. Ad Ephes. 1. Ad Coloss. 3.

2. *Christum post ascẽsionem aliquando fuisse in terra.*

Iam illud alterum, nempe Christum, etiam post ascensionem, aliquando fuisse in terra vel prope terram, haud difficulter sanè probari potest. Sic enim ait Apostolus: Tradidi vobis quod & accepi. quoniã Christus mortuus est pro peccatis nostris, & quia sepultus est secundùm scripturas, & quia visus est Cephæ & post hoc vndecim, deinde visus est plus quàm quingẽtis fratribus simul, deinde visus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus: NOVISSIME autem omnium tanquàm abortiuo VISVS est & mihi. Quem locum interpretans beatus Chrysostomus: Scripturæ, inquit, testimonio de resurrectione pducto, producit etiam TESTES, post Prophetas & scripturas, ipsos Apostolos & cæteros pios citans. Quòd si de peccati resurrectione loquatur, quid attinebat dicere, visus huic est, visus illi est? Hæc enim CORPORIS resurrectionem probantis, nõ peccati libertatem significantis vox est. Vnde non semel visus est inquit, quanquam in communi posita vox sufficiebat. Atqui iterum & tertiò & in omnibus ferè qui VIDERVNT, eandem repetiuit. VISVS est inquit Cephæ, visus est plus quàm quingentis fratribus,

1. Cor. 15.

Homel. 13. in 1. ad Corinth.

bus, VISVS est & mihi. Hactenus Chrysostomus. Cuius hāc totam orationem testimonium confirmat Ananiæ. Qui vt est apud Lucam, sic ad Apostolum, postquàm is Christum admirabiliter in itinere viderat, alloquutus est: DEVS patrū nostrorum præordinauit te, vt cognosceres voluntatē eius, & VIDERES iustum & audires vocem EX ORE EIVS. quia eris TESTIS illius ad omnes homines, eorum quæ VIDISTI & AVDISTI. Congruit cum his & oratio ipsius Christi, qui vt Apostolum resurrectionis suæ idoneum testem faceret, non in itinere solùm illi præsens adfuit & ad id testimonium reddendum cohortatus est, verùm etiam in castris Claudij Lysiæ Tribuni militum, cùm ibi in custodia teneretur. Sic enim narrat diuus Lucas: Sequenti autem nocte ASSISTENS ei Dominus, ait, Constans esto. Sicut enim testificatus es de me in Hierusalem sic te oportet & Romæ TESTIFICARI. Habemus ex his, Christum, aliquot annis post ascēsionem, visum esse ab Apostolo Paulo, & quidem ita visum ab eo esse, sicut visus est Cephæ, sicut visus est Iacobo, sicut visus est plus quàm quingentis fratribus & Apostolis omnibus, vt nō minùs ipse quàm cæteri testimonium magna cum certitudine & fiducia reddere posset resurrectionis CORPORIS (vt Chrysostomus probat) Domini nostri Iesu Christi. Habemus item ipsum non modò VIDISSE iustum, id est Christum, sed ita vidisse vt, quemadmodum Ananias testatur, AVDIVERIT etiam verbum EX ORE EIVS; idque similiter vt rectè testificari posset, quæ ipsemet viderat & audiuerat. Habemus denique Christum ab eodem Apostolo, non eminus in cœlo stantem, sed ipsi ASSISTENTEM, vt Lucas testatur, auditum esse. Hæc omnia certè, nisi violentissimè interpretari secus velimus, planè indicant, Christum omnino cominus & consueto more à D. Paulo, sicut & à cęteris Apostolis, visum reuera & auditum esse post ascensionem. Sic

Act. 22.

Act. 23.

enim prorsus oportebat vt testimonium etiam Apostoli de resurrectione sine omni exceptione esset.

Lib. 4. instit. cap. 17. Quare frigidum admodùm est illud, quod Caluinus obiter, vt ab hoc sibi fortassis argumento caueret, de vna tantùm visione cogitans scripsit, perspicaciam diuinitus diui Pauli oculis datam esse quæ cœlos penetraret, ibiq; Christum è terra videret. Atquî scripturæ testimonia, quæ *Actor. 7.* citauimus, non quouis modo visum esse ab Apostolo Christum declarant, sicut de Stephano tantummodò dicunt, vidisse illum cœlos apertos & IESVM ibi stantem à dextris virtutis Dei. Longè alia de Apostolo Paulo est narratio. Dicit enim scriptura visum esse Christum ab Apostolo sicut visus est Cephæ, sicut visus est cæteris idoneis testibus resurrectionis eius, qui fuerunt omni exceptione maiores. Testatur etiam, ipsi ASTITISSE; testatur Paulum, cùm videret, audiuisse etiam verbum ex ORE eius; testatur ipsi apparuisse non in cœlis, vti Stephano, sed IN VIA, vt Ananias inquit. *Actor. 9.* Hæccine significant eminus tantùm è terra cõspectum esse ab Apostolo Christum in cœlo existentem? Minimè verò: sed prorsùs propè.

2 Cor. 12. Sed nonné, dicet aliquis, raptus illo tempore Apostolus est vsq; ad tertium cœlum, atq; item vsq; ad Dei Paradisum? Nonné ibi potuit Christum cominùs videre? Ego verò credo prorsus ea cõtigisse quæ Apostolus narrat ipse de illo suo raptu. Sed siue in corpore siue extra corpus (nam neq; hoc ille sciuit) raptus ita sit, constat certè distingui debere quę vel vidit vel audiuit vel illustratione diuina intellexit in eo raptu, à clara illa altera visione Christi non in cœlo sed IN VIA, vt Ananias est testatus. Ac multò etiam est certiùs diuersum fuisse miraculum illud, quando multo tempore post eum raptum, ab Apostolo est Christus in carcere auditus, & quidem ipsi ASSISTENS, vt antè recitauimus. Vidit igitur primùm

sium & audiuit Christum præsentem in via. Deinde illo triduo, quo stupefactus post eam visionem, neque vidisse neque manducâsse aut bibisse scribitur, raptus siue in corpore siue extra corpus esse putatur. Tum longo tempore pòst, cùm in custodia esset Claudij Lysiæ, Christum sibi ASSISTENTEM audiuit. Noſtrum itaque argumentum ob eam rem est firmum, quoniam vidit IN VIA, & audiuit ASSISTENTEM in custodia, & quidem in eum finem vt nõ minùs ipse quàm cæteri Apostoli, à quibus reuera cominùs visus est, testis idoneus ac sine exceptione esset Dominicæ resurrectionis. Actor. 9.

II. Est & illud ad hanc rem, ex scriptura duci solitum argumentum, non inualidum.

Nam si spectes ad naturæ consuetudinem atq; vim; quomodo nunquàm fit vt corpus vnum diuersis adsit in locis: ita neq; fit aliquando vt locus vnus capiat corpora diuersa, quorum alterũ quidem ipsum compleat. Neque magis hoc quàm illud ratio assequitur: cùm non sit minus ab vno capi & contineri plura, quàm vnum capi & contineri à pluribus:

At compertum ex diuina scriptura est, locum vnum continere potuisse atque adeò continuisse illo modo diuersa corpora, nempe Christi corpus & obseratam ianuam, qua is est ingressus ad Apostolos. Item idem Christi corpus, & clausirum Virginis intemeratum; atque etiam lapidem clausi sepulchri: vt de cœlis incorruptibilibus quos penetrauit, nihil iam dicam.

Potest igitur eadem Dei virtute fieri vt idipsum Christi corpus, licet vnum & idem, præsens diuersis in locis adsit. maximè cùm non ab illis locis capi, sed illis in Sacramento mirabiliter contineri asseramus.

Lib. 4. Instit. cap. 17.

Verùm neque hîc tacuit omnino Caluinus. Nam vt hoc etiam argumentum effugeret, commẽtum excogitauit antea prorsùs inauditum. Quòd Christum, inquit, exisse è sepulchro clauso & clausis ianuis ad discipulos esse ingressum obiiciunt, nihilo magis eorum errori suffragatur. Nam sicut aqua non secùs ac solidum pauimentum Christo iter præbuit super lacum ambulanti: ita nihil mirum si ad eius occursum se flexit lapidis durities. Etsi probabilius est, inquit, eius imperio amotum fuisse lapidem, & mox transitu dato ad suum locum rediisse. Nec ianuis clausis intrare tantundem valet, ac penetrare per solidã materiam, sed sibi aditum patefacere diuina virtute, vt repente steterit inter suos discipulos planè admirabili modo, cũ obseratæ essent fores. Hactenus Caluinus. Quem proculdubio puduit, nefariam cogitationem, quam similiter habuisse videtur de intemeratis claustris Virginis, oratione hoc in loco prodere. Cur enim de eo mysterio admirabilis partus Virginis, non aliud, si quid habebat diuersum respondit?

Lib. 12. in Ioan. cap 53. Idem Athanas. in disp. contra Apollinar. Ambrosius lib. 10. in Luc. cap 24. & alij.

Sed de obseratis foribus videamus. Cyrillus quidem Alexandrinus de eo miraculo sic scriptum reliquit: Clausis, inquit, foribus repente Dominus omnipotentia sua NATVRA RERVM SVPERATA ingressus ad discipulos est. Nullus igitur quærat, quomodo clausis ianuis corpus Domini penetrauit: cùm intelligat non de homine nudo vt modò nos sumus, sed de omnipotenti Filio Dei hæc ab Euangelista cõscribi. Ac paucis interpositis. Si hanc, inquit, operationem Dei percipere nequeas, cur potiùs ingenij humani imbecillitatem non accusas? cur nõ seruas silentio datam tibi à creatore mensuram. Hæc Magnus Cyrillus. qui Caluinum planè & Caluini discipulos diuina quadam mentis prouidentia redarguisse in hoc loco videtur. Hi sunt enim, qui dum non capiunt, quomodo Christi corpus NATVRA RERVM superata

lignum

lignum penetrârit, imbecillitatem intelligentiæ suæ non reputant: Sed cõmentum excogitant quod est etiam ridiculum. Nempe Christũ diuina virtute sibi ianuas aperuisse, atq; ita ingressum esse aditu sibi patefacto ad discipulos, cũ fores fuissent antè clausæ. Magnum scilicet miraculum, aperuisse ianuas, quæ erant clausæ, & ianuis apertis esse ingressum. An hoc nisi diuina virtute fieri nequit? An res est quæ superet ianuæ naturam? Æque ineptum est figmentum quod similiter de sepulchri lapide comminiscitur. Nam historia Euangelica, primũ ab Angelo, postquàm resurrexisset Dominus, (vt etiam D. Chrysostomus annotauit) lapidem esse reuolutum indicat. *Matth. 27. & 28. Chrisostomus Homel. 91. in Matt.*

III. Iam sancti Patres rem quidem maximè admirabilem esse agnouerunt, vt corpus vnicum, adsit diuersissimis in locis: Sed eiusmodi tamen rem hanc esse confessi sunt, quæ fieri prorsus possit, imò qua summo Dei beneficio fiat in Eucharistiæ celebratione quotidie. In quo genere præclara est valde D. Chrysostomi oratio. O, inquit, miraculum! O Dei benignitatem! Qui cum Patre sursum sedet in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur. Tum Gregorius Nizenus rectissimè. Sicut diuinitas, inquit, replet mundum, & tamen vna est; ita innumerabilibus locis cõsecratur, & tamen vnum corpus est. Hæc ille. qui exemplo certè esset vsus minimè accommodato, nisi sensisset variis locis poni Christi corpus per consecrationem substantialiter in Sacramento præsens, quemadmodum substantialiter omnino replet mũdum diuinitas. Item Basilius, sic ad Christum precatur: Veni ad sanctificandum nos, qui SVRSVM Patri consides, & HÎC nobis inuisibiliter coës; & dignare nobis impartiri sacrosanctum tuum corpus & pretiosum sanguinem. Tum Ambrosius: Christus ipse offertur, inquit, INTERRIS, quando Christi corpus offertur. Sic Ambrosius. qui pro-

Vnum corpus in pluribus locis esse posse, probatur etiam ex Patribus.

Chrisost. lib. 6. de Sacerd. sub initium.

In Serm. Paschæ.

Basil in Liturgia.

Ambr. in Psal. 38.

proculdubio nõ ignorauit, Christum tum etiam, cũ in terris offertur, esse in cœlis. Et alio loco sentẽtias eorum Patrũ allegauimus, qui cùm locũ Epistolę ad Hebræos de vnica Christi oblatione in cruce interpretãtur, disertè fatentur, vnum atque eundem Christum esse qui multis in Ecclesia locis plenus hîc & plenus ibi offeratur, atque adeò habeatur in tremendis mysteriis præsens. Vnum est, inquit Chrysostomus, hoc sacrificium: alioquin hac ratione, quoniam multis in locis offertur, multi Christi sunt? Nequaquam. Sed vnus vbique est Christus. et Hîc plenus existens, & ILLIC plenus: vnum corpus. Sicut enim qui VBIQVE offertur vnum corpus est & non multa: ita etiam & vnum sacrificium. Augustinus etiam, tanquam de re tractans quæ diuinitus omnino fieri possit, quęrit in quodam loco, vtrum Sancti vita defuncti, eorum necessitatibus, qui ipsos inuocant, sic opitulentur, vt ad eam rem diuersissimis etiam in locis simul adsint spiritu suo præsentes. Quod certè non videtur esse faciliùs quàm vt substantia etiam vnius corporis, modo præsertim spirituali atque inuisibili, vt fit in Sacramento, constituatur diuinitùs diuersis in locis. Sed pergamus vlteriùs.

In lib. de sacrif. Missa. cap. 1.

Homel. 17 in ep. ad Heb.

Aug lib de cura pro mort. agend. cap. 16.

IIII Non esse, quemadmodum isti contendunt, impossibile, vt corpus vnum diuina virtute in pluribus simul locis præsens adsit, ratione prætereà & argumentandi forma in iis disputationibus quæ sunt de potentia Dei, valde firma, sic probo:

Quidquid non inuoluit vllo modo contradictionem, Deus potest facere.

Sed vt corpus vnum in multis sit locis, non est res eiusmodi quæ inuoluat vllo modo contradictionem.

Igi-

Igitur vt corpus vnum in multis sit locis, Deus potest facere.

Maior ex immensitate omnipotentiæ diuinæ certissima ratione conuincitur. Quod enim sine vlla contradictione asseri potest, id etiam sine repugnantia potest intelligi. Quod autem intelligi potest, id & veri & entis, vt loquimur, rationem atque essentiam habet. Quidquid autem verum & ens est, id prorsus in eam potentiam cadere potest, quæ omnipotentia est, id est quæ sine vllis limitibus valet non ad has res tantùm vel ad illas, sed ad omnes omnino in quibus est ratio veri & entis. Talis est autem Dei potentia infinita. Et hanc rationem habet quod Angelus asseuerauit, nullum non verbum esse Deo possibile.

Cur Deus possit facere quæcunq; non implicant contradictionem.

Minorem illa mihi probatio planè persuadet. Nam esse corpus alicubi præsens, id quidem nō nisi accidens corporis est, siue absolutum illud siue respectiuū sit accidens. Præterea id accidēs, sicà corpore diuersum, atq; etiā corpore posterius est, vt diuina virtute posset constare verum aliquod corpus, neq; tamē vlli loco esse præsens. Id si quis neget, cogitet attentiùs an negare audebit, in potestate Dei fuisse, sicut creauit ab initio vniuersum hunc mundum, ita vnum aliquod corpus, puta lignum vnum, aut vnum lapidem tantummodò creare. Hoc certè si Deus fecisset, verum aliquod corpus fecisset, quod non habuisset tamen vllum accidens præsentiæ ad quemquam locum. Iam, quæ ratio euidens afferri potest, quam ob rem nequeat, sine contradictione non multiplicato corpore, multiplicari accidens illud præsentiæ in corpore, quod neque de essentia corporis est, & ita corpore posterius, & à corpore diuersū est, vt etiam possit penitus sine illo corpus cōstare? An sequetur illicò esse vnū corpus & non esse corpus vnum? Quomodo? qua ratione id sequetur? Corpus certè & vt corpus & vt vnum corpus, subie-

subiectum est illius accidentis præsentiæ, atque adeò quiddam eiusmodi accidenti prius: & id sanè ita, vt per virtutem Dei carere prorsus possit illo posteriori accidente præsentiæ. Hoc cùm ita sit, cur multiplicari præsentiam illam, erit etiam multiplicari corpus, esseq; adeò corpus vnum, & non vnum? At vna eiusmodi præsentia requirit tanquam suum subiectum, totum vnum corpus; vt proinde non videatur in eodem corpore altèra simul posse poni præsentia. Certè neque poni solet neque potest poni per aliquam virtutem causæ naturalis; sed potest tamē per virtutem diuinam. Hoc enim contendo, si ad infinitam Dei potentiam vnum corpus referas, nullam euidentem afferri posse rationem cur in eo tanquam in subiecto non sit capacitas ad præsentias diuersas. Atque ego quidem eò magis persuadeo id mihi, quòd aliquid non prorsus absimile in alio quodam genere iam cōtingere (sententia saltem quorundam non improbabili,) animaduerto. Etenim vna relatio æqualitatis ad vnū æquale in toto subiecto suo est, &, vt ita dicam, illud quāsi totum occupat. Nihilominus tamen vt quidam putant, locus est in eodem subiecto alteri relationi æqualitatis ad alterum æquale. Cur non aliquid simile, quod ad præsentiam attinet, contingere posse per diuinam virtutem concedemus?

V. Hoc si parùm Aduersarios mouet, demonstrent quæso mihi quam obrem, vel, vt pressiùs vrgeam, quam ob rationē propriè nequeat corpus vnum in pluribus locis adesse simul? An quia vnum? At Deus (quod est ad hanc ipsam rem exemplum D. Gregori Nizeni) multò magis vnum quiddam est; & est tamen totus diuersissimis in locis. An quia est vnum aliquid, quod est finitum atque creatum? At substantia rerum finitarum non loco propriè, sed suo genere atque differentia finitur, vt suam ita tantùm non aliarū rerum omnium perfectionem contineat. Ex qua re fit vt si corpus vnum

Serm. de Pasch.

esset

esset totum in pluribus locis, nihilominus esset finitũ. Nam & anima vnum quiddam finitum atque creatum est, & est tamen tota diuersissimis in partibus. Angelus etiam, cùm sit creatura, differentibus tamen in rebus sistere sese præsentem potest, in vnaquaque totum. Sed hîc dicetur, neq; Angelum neq; animã adesse partibus aut rebus sic inter se dissitis, quomodo distant loca, in quibus affirmamus nos adesse simul Christi corpus. Certè nihil obstat, quo minùs in diuulsis etiam à se inuicem partibus & alibi atq; alibi collocatis possit diuina virtute anima præsens (vt erat in iisdem partibus cõiunctis priùs) retineri sublata tantùm informatione. Sic etiam Angelus, qui in duabus rebus coniunctis & in vnaquaq; earum totus existit, persistere diuinitus in iisdem tũc etiã posset, cùm altera ab altera procul remoueretur. Hoc si absq; repugnantia cõuenire potest vni spiritui; cur non etiã vni corpori eadẽ Dei virtute possit accidere, præsertim præsentię modo neq; locali prorsus, neq; visibili? Obiiciunt Augustini sententiã, qui sic scripsit ad Dardanum: Spacia locorum tolle à corporibus, & nusquam erunt: & quia nusquam erunt, neq; erunt. Sed hîc Augustinus minimè negat, corpus per potentiam absolutam Dei, alicubi esse posse modo non local: ac multò minùs præsentem esse posse per eandẽ Dei virtutem multis in locis. Tantùm enim disputat non posse corpora naturali modo sine locis, quib⁹ cõtineantur, existere. Id apparet ex anthitheſi, quam ibi instituit. Nam Deum cõparat cum corporibus. Illum affirmat in se ipso præsentẽ esse. quia nõ continetur, inquit, ab eis quibus est præsens, tãquàm sine eis esse non possit. Tum subiungit verba illa quæ sunt antè recitata, docetq;, aliam rationem esse corporum; quòd nisi in locis quibus contineantur esse nõ possint. Ita illud profectò docet, quod naturaliter competit corporibus. Quemadmodum etiam perfectionẽ ibi naturalem Dei me- *Augustin. epist. 57.*

morat, cùm contrà dicit illum sine locis, à quibus continea-tur, esse posse. Nihil igitur cũ hac Augustini doctrina pugnat id quod ipsi disputamus, per absolutã potentiam Dei, posse vnum corpus alicubi esse modo non locali, & quidẽ diuersis-simis locis substantia sua reuera præsens. Contra hanc assertionem nihil prorsus obiici potest, quod nõ facile explicari possit, si mentem intelligentia mq; à consuetudine imaginationis auocemus. At id non capimus. Quàm multa isto modo, quæ sunt certissima, negare deberemus! Nimirum res est, quæ abhorret à nostri sensus atque etiam ab ipsius naturæ consuetudine. Sed nunquid his finibus diuinam potentiam metiemur, vt illi nisi quod fieri solitum est, atque à nobis cogitatione comprehendi potest, non concedamus? Exiguæ profectò tunc essent diuinæ virtutis copiæ. Quare longè aliter sentiendum est, idque cogitandum, vt rem aliquam diuinitus fieri posse statuamus, satis nobis esse non videre cur ea fieri nequeat, neq; etiam oportere, vt quomodo fieri possit, ipsi videamus. Qua de re sapienter admodum Hugo Victorinus: Dices mihi, inquit, quomodo corpus vnũ eodem tempore in diuersis locis esse potest? Hîc est, ibi est, totum vtrobique est, & in multis locis similiter. Noli mirari. Qui fecit locum, fecit corpus, & fecit locum in corpore, & corpus in loco. Et qui fecit, vt vnum corpus vno in loco esset, fecit sicut voluit: Et si voluisset, aliter facere potuisset. Nam quando vult, aliter ipse facit, & est semper sicut ipse vult. Quia autem sic ipse fecit, vt vnum corpus esset in vno loco: tu quod factum est vidisti, & nescis aliud, nisi quod factum esse vidisti. Idcirco miraris quando aliud vides vel audis, quàm videre & audire consueuisti, &c. Cogita facientem, & desinet esse mirabile, vel saltem incredibile non erit. Hactenus Victorinus.

Lib 2. de Sacra. cap. 11.

NVNC

NVNC consequens est, vt refellamus breuiter alteram partem Sacramentariæ probationis, quæ est sanè infirmissima. Si maximè, inquiunt, essentia vnius corporis non sit, vt vno in loco tantùm sit præsens; at est certè proprietas naturalis. Omnes autem proprietates naturalis corporis confitendum est inesse in Christi corpore; cùm naturam Verbum diuinum sumpserit, naturæ nostræ per omnia, excepto peccato, similem. Confitendum est igitur, CHRISTI corpus itidem præsens esse in vno tantum loco. Non vident homines incautissimi, si valeat hoc argumentum, quò nam absurditatum à nobis pertrahi possint. Sic enim pari modo argumentabor: Proprietas corporis naturalis est, vt pati & corrumpi possit; vt locum alio corpore repletum occupare nequeat; vt, si viuum est, alimonia indigeat, si terrenum, adeò sit graue, vt consistere atque extare omnino & ingredi non possit, nisi super terram &c. Sunt autem à Verbo diuino, vnà cum natura corporea naturales omnes corporis proprietates sumptę. Christi ergo corpus iam etiam & patibile, & mortale est, & alimonia indiget, neque aliquando vel nascens ex Virgine, vel ex sepulchro exsurgens, vel ad discipulos clausis ianuis ingrediens, per locum altero occupatum corpore, permeauit, neque demum super aquas omnino extitit, aut est ingressus.

Ex forma argumentandi Sacramentariorum, plura absurda sequuntur.

Hoc certè argumentum, cuius conclusionem constat falsam esse, nihil differt ab argumento Sectariorum. Quare æquè illud atq; hoc captiosum est. Nam responderi debet, suscepisse quidem vnà cum natura Verbum diuinum proprietates omnes, seu accidentia corporis naturalis, sed non perpetuò tamen retinuisse, quidquid est prorsus eiusmodi accidentium: quin imò diuina virtute atque gratia corpus illud sublimioribus aliquibus siue conditionibus siue

attributis fuisse donatum, quæ tamen cum vera essentia corporis minimè pugnauerint. In eo genere vt impatibilitas, subtilitas & aliæ dotes, ab inuitis etiam Sectariis poni debent; sic etiam præsentia Sacramentali modo pluribus in locis à nobis numeratur. Neque nobis magis in ea re, quàm Sectariis, vt concedant alias corporis Dominici dotes, quæ controuersia omni vacant, id argumentum obstare debet, quod ex contraria conditione corporis obiiciunt.

Quoniam igitur neq; ex essentia, neq; ex proprietatibus corporis efficitur, vt Christi corpus nequeat alibi etiam præterquàm in cœlo esse præsens, perspicuum est doctrina de incarnationis mysterio, ac veritate naturæ assumptæ, insipienter Sacramentarios etiam abuti ad suum errorem stabiliendum. Nos firmiter clarissimæ ac inuictissimæ illi sententiæ filij Dei adhærebimus, Hoc est corpus meum. Et, Hic meus est sanguis. Nam quòd verè ac propriè hisce verbis Dei filius corpus suum & sanguinem sub speciebus panis & vini reipsa præsentia monstrauerit, his argumentis, vt summatim rem amplissimam complectar, persuadere sibi debent, quicunq; sunt aliquo iudicio præditi.

Matth. 26. Marci. 14. &c.

Præsentia Christi in Sacramento, & proprietas verborum eius in illius institutione probatur. Ioan. 6.

1. Cùm priùs apud Ioannem de carne sua in hoc Sacramento (vt veteres intellexerunt) ad consequendam vitæ immortalitatem edenda, & sanguine suo bibendo concionaretur; adeò non existimatus est ab auditoribus figuram tantùm sui corporis polliceri, aut tantummodò fidem de salutifera ipsius virtute, (quam illi iam multi non inuiti accommodauerant) requirere, vt consueto etiam more sibi CHRISTI carnem, tanquàm aliam in macello (vt Augustinus inquit) concisam, edendam esse putarent. Et falsa quidem ex parte, & à CHRISTO ibi refutata fuit hæc illorum existimatio; quoniam circa manducationis certè ac

Tract. 27 in Ioan. et serm. 2 de Verbis Apostoli.

tè ac potionis modum errabant. Sed non falsò eos tamen intellexisse, velle Christum aliquo tandē modo verè ac realiter suam carnem edi & bibi suum sanguinem, inde perspicuum est, quòd propter eius rei difficultatem, quæ in mysterio restabat, non obstante explicatione, quam circa modum adhibuit Christus, multi discipulorum eius abierint retrò, sicut iam faciunt Sacramentarij. Neque est profectò vlla ratione credibile, adeò salutem discipulorum neglexisse Dei Filium, vt in viam eos non reuocâsset, si hoc facere potuisset prætereà exponendo se, neq; consueto more, neq; vllo alio modo verè ac realiter, sed (quod erat ad credendum perfacile) in sui figura ac signo tantùm ab ipsis manducari velle. An verò ita dixit? Minimè. Nā affirmauerat perspicuè priùs, Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Itaq; dolet tantùm eorū discipulorum vicem, quòd adhibita recta explicatione de manducandi modo; credere tamen mysterium id, quod de vera manducatione erat reliquum, in eaque re ipsi fidem habere recusarent. Et sunt (inquit mœrens) quidam ex vobis, qui non credunt. Tum ad duodecim: Nunquid & vos, inquit, vultis abire? Quasi diceret; an vos etiam vt cæteri, carnem meam verè cibum esse posse dubitatis; nec arbitramini, me facturum, vt verè quidem, sed longè aliter quàm aliis vti cibis consueuistis, meo corpore vescamini? Cui Petrus, fide tanti mysterij *Ioan.6.* plenus: Domine, inquit, ad quem ibimus: verba vitæ æternæ habes. Vbi Augustinus; Videte, inquit, quemadmodū Petrus dante Deo, recreāte Spiritu sancto intellexit; vnde, nisi quia credidit? verba vitæ æternæ habes. Vitam enim æternā habes IN MINISTRATIONE CORPORIS ET SANGVINIS TVI. Quis hic sanus putet, infidelitatem eorum, qui miserabiliter desciuerant, aut fidem Petri, tam magnificis verbis, & ab ipso expositam & ab Augustino hîc prædicatam non alia de quæ-

stione fuisse, nisi an Christi corpus in pane tanquàm in figura viuificæ virtutis eius edi possit. An non priùs quoq; se vitam atque salutem afferre mundo luculuentis verbis profes-
Ioan. 3. sus erat? Aut verò id mysterium, quod quasi alphabetum primum Christi doctrinæ erat, nondum crediderant ipsius discipuli?

Secunda probatio. 2. Deinde panem, siue cibum, quem pollicetur cœlestem, adeòque carnem suam, cum manna comparat, ipsique præfert, non modò, quia vitam æternam vtcumque præbeat, sed quoniam est eiusmodi, vt id quasi virtute ac dignitate sua propria præstare possit, videlicet sua ipsius caro. Hæc autem comparatio nequaquam apta fuisset, si carnem suam non etiam intellexisset omnino à nobis reipsa edendam esse, sicut manna edebatur. Nam si cibum pollicitus esset tantum, qui sola significatione existeret ipsius caro, non vtique cibum eiusmodi promisisset, qui per se viuificare posset, quique aliter, quàm manna sit ipse Christus. Fuit enim manna etiam Christi figura. Vnde Augustinus de hoc
Tract. 26. in Ioannem. cœlesti pane, qui CHRISTVS est, verba faciens: De cœlo inquit, descendit vt manna: Sed manna vmbra erat: iste veritas est. Sicut Apostolus, propter eiusdem mannæ significationem dicit, priscos Patres omnes eandem escam spiritualem, hoc est, Christum manducauisse in manna tanquàm in signo.

Tertia probatio. 3. Cùm Christus affirmauit, Hoc est corpus meum &c. colloquium ei erat, non cum aliis, quibus ferè in parabolis loquebatur, sed cum discipulis suis, quibus regni Dei mysteria proponebat perspicuè; & in secreto atque à turbis remoto loco; & tunc, cùm testamentum conderet, quo vnum è Sacramentis Ecclesiæ instituebat atque legabat; & in extremo vitę suæ tempore, iis tanquàm vltimò valedicens, quos cum antè dilexisset, in finem tamen, vt est apud Ioannem

annem, summoperè dilexit. Indicāt verò omnes istæ ac singulæ circumstantiæ, sermonem illum Christi fuisse sanè planissimum idq; significauisse propriè, quod verba sonant. Nā si aliâs vnquam, certè amicissimis, & in loco priuato, & in testamento condendo, & in discessu ab iis, qui charissimi sunt, maximè solent apertè animorū sensa declarari. *Ioan. 13.*

4. Commemorant eam Christi sententiam simpliciter, absque vlla tropi significatione Mattheus & Marcus & Lucas. Neque ij tantummodò, sed longè etiam pòst Apostolus Paulus, qui & ipse, quod à Domino accepit hac de re, fidelissimè tradidit nobis. Res autem magna est, & prorsus talis, de qua verum sentire plurimùm interest Ecclesiæ. Verba etiam Christi eiusmodi certè fuerunt, & ita sonant, vt si error sit, ea propriè intelligere, facillimè accidere potuerit hic error. Quod & antiquissima tot seculorum populorumq; sententia, quę sic ea verba intelligit, & ratio ipsa cōfirmat. Nam cùm Christus carnem suam ad manducandum dare nobis in Sacramento citra repugnantiam vllam, vt antè defensum est, possit; velle se certè id facere, nullis aliis verbis planioribus significare debuit aut potuit, quàm illis quæ vsurpauit, inquiens: Accipite & māducate, Hoc est corpus meum, ipsū quod pro vobis tradetur. Hoc cùm ita sit, si maximè Christus ipse Berengarianam aut Caluinianam explicationem suis verbis, ne orbis in eam sententiam induceretur, quæ (fremant licet isti) sententia totius orbis est, & fuit semper, adhibere non debuerit: Si non debuerit id facere Mattheus, non Marcus, non Lucas; certè ad gentium Doctorem eximium D. Paulum, cùm nobis id mysteriū longè pòst enarrauit ac tradidit attinebat aliquam eius doctrinę & interpretationis significationē dare, ne, si fallimur cùm verba Christi propriè intelligimus, vsq; adeò verisimiliter in re tāta deciperemur. An verò ita fecit? Nihil minus. Quin potiùs præsentiam realem *Quarta probat. 110. Matth. 26. Marcus, 14. Luc. 24. 1. Cor. 15.*

realem corporis & sanguinis Domini grauissimis, & potentissimis, & omnino eiusmodi verbis, quæ suo pondere leuissimas interpretatiunculas istorum omnes tanquàm obruunt & opprimunt, vbiq; nobis commendare. Nam quæ potest esse maior vis & autoritas orationis, quàm cùm per interrogationem asseuerat, inquiens: Panis quem frangimus, nonné communicatio CORPORIS Christi est? Et calix cui benedicimus: nonné communicatio sanguinis Christi est? Tum illud grauissimè: Qui manducat et bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non DIIVDICANS CORPVS Domini. Fide profectò caret & excors est planè is, cui vel pauor ipse, atq; honor, quem habet hæc Apostoli sententia, fidem non facit de præsentia corporis & sanguinis Christi in hoc sanctissimo Sacramento.

1. Cor. 10.

1. Cor. 11.

5. Mysterium id fidei quod à Christo nobis in hoc Sacramẽto commendatum est, quodq; ab Ecclesia semper quasi antonomasticõs, mysterium est appellatum, dubitari nõ potest, quin & à cæteris mysteriis siue articulis fidei, propria quadã sua ratione differat, & singularem aliquam atque magnam difficultatem contineat, secundùm eam ipsam propriam rationem suam, qua differt à reliquis. Id cùm per se clarum sit, ex multis etiam intelligi potest. Nam primùm ob insignẽ rei difficultatem, antequàm eius mysterij promissionem faceret ipse Christus, stupendo miraculo, cum paucis panibus infinitam propè multitudinem satiauit, animos auditorum dociles & faciles, ad id mysterium credendum reddere studuit, vt S. Chrysostomus annotauit. Deinde rem grandem & singularem atque admodum arduam se proponere, satis ipse Christus indicauit, grauissima illa asseueratione. vtens AMEN AMEN dico vobis, Nisi quis &c. Tum argumento, ex mysterio ascensionis (vt Cyrillus interpretatur) ducto, rem eam quantumuis admirabilem, fide non esse indignam demon-

Homil 45. in Ioan.

Lib. 4. Ioan. cap. 22.

monstrauit. Hoc, inquit, vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem vbi erat priùs? Id est, si præter naturam, caro mea in cœlum ascendet, quid mirum si præter naturam vos etiam sustentet atque viuificet, inquit Cyrillus. Sic etiam Apostolus, non sine grauissimo quoquè procœmio, quo sibi primùm auditorum fidem in re tanta cõciliaret, de hoc mysterio dicere aggressus est. Ego inquit, A c- 1. Cor. 11.
CEPI à Domino, quod & tradidi vobis. Quasi diceret, rem maximam sum dicturus, sed quæ credi tamen, quamuis difficillima à vobis debeat; quoniam non à me excogitata; sed à Domino, id est à veritate ipsa mihi testata atq; tradita est.

Hoc verò cùm ita sit, non vident tamen Zvvingliani & Caluiniani nostri, eam se, negata reali præsentia, rationem statuere huius mysterij, quæ vel nihil reipsa differt ab articulis aliis nostræ fidei, vel si quidquam differt, nullam tamen propriam habet difficultatem alicuius ponderis, præter illam, quam continent alia mysteria. Qui enim iam *NOTA.* credit, Christum etiam vt hominem, vitam esse nostram, id est, per ipsum gratiam spiritualem obtinere, atq; eam abundantiùs etiam per gratiæ incrementum habere, tum in ipso & per ipsum nos, vt Apostolus disputat, omni benedictione spirituali benedici, omnibusque donis affici: hoc inquam, qui iam credit, quid obsecro magnum atque difficile præterea credet, si crediderit panem, quia vitam fouet atque alit, figuram & Symbolum esse illius salutiferæ virtutis humanitatis atque corporis Christi? At mirabile est, inquiunt, quòd corpus illud Christi, tanto locorum interuallo à nobis dissitum; è cœlo tamen ad nos vsque transmittere possit spiritualis gratiæ robur atque virtutem. Primùm, si in ea re tantummodò mysterium hoc ponunt, non iam nobis magis, quàm sibi obiicere debebunt illud, Caro non prodest quidquam. Hîc enim disertè asserunt, prodesse carnẽ Christi

ad salutem, & prodesse è cœlo. Itaque coguntur nobiscum illud interpretari, vt sit sensus, Non solam carnẽ sine fide & rectis animi motibus prodesse; aut certè nihil ad rem attinere carnalem illum comedendi modum, quem intellexerat Capernaita. Deinde, corpus & humanitas Christi, è cœlo, nõ suapte virtute, vt causa principalis (id enim propriũ Dei est) sed tantùm vt instrumentum gratiam efficit. Neq; certa atq; indubitata fide cõpertum adhuc est, quanã illud ratione sit gratiæ instrũmentum. An quasi physicè, vti disputant, an duntaxat moraliter? Quocunque autem modo Christi corpus instrumentum esse gratiæ dicatur: primò cùm causa instrumentalis tantũesse ponatur, non est in eare tanta difficultas atque admirabilitas, quantam inesse in hoc mysterio indicant illa quæ cõmemorauimus. Deinde qualiscunq; ea difficultas sit, ea tamen non est huius mysterij propria. Tum quòd fides de sanctificatione nostra requirit, vt id humanitati tribuamus, atque adcò corpori etiam Christi, quo ille pro nobis patiendo salutem nostram operatus est. Tum etiam quia certum est, humanitatem ac viuificam carnem Christi causam in vniuersum esse instrumentalem cuiuscũque gratiæ, quæ citra vsum etiam istius Sacramenti quandoq; datur. Planum itaq; est, Aduersarios cùm præsentiam Christi in sanctissimo Sacramento negant, nihil admirabilitatis ei mysterio relinquere; quod sit ipsi proprium; sicut est verbi gratia Baptismi propria spiritualis regeneratio, ac sanctificatio per aquam, & alia id genus, quæ in singulis nostræ fidei mysteriis propriè sunt mirabilia.

Non est secundum Sacramẽtarios difficultas aliqua peculiaris in mysterio Eucharistiæ.

Sunt aprobanda.

6. Cùm Christus possit omnino, vt antè ostensum est, nobis in Sacramento adesse sub aliena specie præsens; cumque ipsum voluisse ita facere, verba ipsius planissimè significent: Duplex adhuc ratio, & vtraque sanè magna, accedit, cur illum ita in Sacramento adesse persuadere nobis prorsus possimus. quarum altera, ex infinita illius erga nos charitate; al-

tera ex commodo nostro spirituali, cuius ille studiosissimus fuit, deducitur. Nam quis, cũ à sibi charissimis necessariò discedit, non item manere vellet cum illis, si in ipsius esset arbitrio & potestate positum, discedentem etiam manere? Effigiem sui aut munus quodcunq; abeuntes ad memoriam relinquunt iis, quos præcipuo amore diligunt. Quid facturi essent, si restare ipsi, & abire simul possent? At potuit Christus, & nos summa charitate dilexit cuius certè virtutis ea vis est, vt amantem non modò præsentem amato sistat, sed quàm arctissimè fieri possit, vtrumq; coniungat. Quod expendens hoc in loco diuus Chrysostomus, Cùm suũ, inquit, Christus in nos amorem indicare vellet, per corpus suum se nobis cõmiscuit, & in vnum nobiscum redegit, vt corpus cum capite vniatur. Hoc enim amãtium maximè est. Hoc Iob significabat de seruis, à quibus maximè amabatur, qui suum amorem præseferentes, dicebant: Quis daret nobis vt eius carnibus impleremur? Quod Christus fecit, vt maiori nos charitate astringeret, & vt suum in no sostenderet desiderium, non se tantùm videri permittens desiderantibus; sed & tangi & manducari, & dentes carni suæ infigi, & desiderio suo omnes impleri. Abilla igitur Christi mensa, tanquàm leones ignem spirãtes surgamus, diabolo formidolosi, & caput nostrum intelligamus, & quam in nos præstiterit charitatem. Hæc & alia præclarè in eandem sententiam ibi Chrysostomus; vt ex natura charitatis confirmet præsentiam corporis & sanguinis Christi in Sacramento. Iam verò si ex commodo nostro vt dicebam, rem etiam æstimemus, iudicio profectò & sensu de rebus diuinis caret omni, qui non sentit, quãtum momẽti ad charitatis & spei & fidei & religionis & cæterarum virtutũ omnium studium in nobis accendendũ, ea Christi præsentia & fides, atq; persuasio de illa erat habitura. Nam qui non ferreus est, huius certè animus vehemẽtissimè

Homil. 45. in Ioannem.

Iob. 31.

commouetur, cùm cogitat illum ipsum præsentem se tenere & sumere, & illius carnibus impleri, cui tam multum debet, à quo tam multum & sperare & timere potest. Hîc mẽs perfunditur & percellitur eiusmodi religione, quæ ne abilis quidem, quibus eam probè sentire donatum est, vllis verbis explicari potest.

Septima probatio.

7. SENTENTIÆ communi sanctorum Patrum, de Christi verbis interpretandis non assentiri, insolentissima insania est. At Patrum iudicio Christum dicentem: Hoc est corpus meum, &: Hic meus est sanguis, non figuram, sed rem ipsam planè, id est corpus suum & sanguinem sub pane & vino demonstrauisse, tam multa, tam perspicua argumenta declarant, vt intolerabilis impudẽtia sit, ea de re dubitare. I. Nam cùm omnes ferè Patres aliquid omnino pro nobis in hac causa sic scripserint, vt ad se expediendum, nihil isti satis probabiliter dicere possint; accedit etiam quod eiusmodi præsentiam, eorum aliqui (quorum studium fuit, sententiam antiquitatis, atque adeò ipsius Ecclesiæ, fidelissimè colligere ac referre) ita perspicuis verbis id asserunt, vt si hoc ipso tempore contra Sacramentarios causam hanc agerent, clariùs certè non loquerentur. Illustris enim est, admodum illa oratio D. Ioannis Damasceni, Non est, inquit, figura panis & vinum corporis & sanguinis Christi (absit enim hoc) sed est IPSVM CORPVS Domini Deificatum; ipso Domino dicente: Hoc est meum (NON FIGVRA corporis) sed corpus: & non figura sanguinis, sed sanguis. Tum Theophylactus explicans illud apud Marcum: Hoc est corpus meum. Hoc, inquit, quod sumitis: non enim tantùm figura & exemplar est corporis Dominici panis, sed in illum conuertitur corpus Christi: Dominus enim dicit; Panis, quem ego dabo, caro mea est: Non dixit FIGVRA est carnis meæ, sed CARO MEA est. At alij Patres non ita dixerunt. Ego verò autoritate Dama-

I.

Multis argumentis ostenditur Patres antiquos Christi præsentiam in Sacramento prorsus credidisse.

Lib. 4 fid. cap. 14.

In comment. super 14 ca. Marci. Vide etiam in comm. Matthæi 26.

Damaſceni & Theophylacti, cùm in Patrum ſententiis eſſent verſatiſſimi, & rectæ fidei doctrinam ſequuti fuerint, moueor vt mihi perſuadeam reliquos omnes Patres antiquos ita certè ſenſiſſe, ſi maximè non ita dixerint perinde clarè. Aut proferant, ſi poſſunt Sacramentarij vel vnum ex ſanctis Patribus, qui contrarium huic orationi Damaſceni & Theophylacti dixerit, hoc eſt, qui apertè dixerit, illud, quod in præſentia Chriſtus diſcipulis ſuis dedit, TANTVMMODO figuram aut Symbolum ſui corporis atque ſanguinis fuiſſe. II. Deinde quò fidem huius myſterij probent, atq; etiam vt perſuadeant conuerſionem hîc fieri panis & vini in carnem & ſanguinem Chriſti, eam adhibent ſancti Patres orationis contentionem ac argumentorum vim, vt facilè appareat, nõ niſi pro illa corporis & ſanguinis præſentia propugnauiſſe, quam ob rei difficultatem Sacramentarij negant. In eo genere eſt illud Euſebij Emiſeni. Meritò, inquit, cœleſtis confirmat autoritas, quòd caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Recedat ergo omne veritatis ambiguum, quandoquidem qui auctor eſt muneris, ipſe eſt auctor veritatis. Nam inuiſibilis Sacerdos, viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui verbi ſecreta virtute conuertit, dicens: Hoc eſt corpus meum &c. Item D. Cyrillus Hieroſolymitanus: Quamuis ſenſus tibi ſuggerat panem, tamen corpus eſt ſecundùm ipſius verba. Fides te confirmat, ex ſenſu ne iudices. Nulla tibi poſt Domini verba ſubeat dubitatio. Et: Si aquam mutauit in vinum, quod eſt ſanguini magis propinquum, non erit dignum cui credamus, quòd vinum in ſanguinem tranſmutauerit? Et Chryſoſtomus: Credamus vbique DEO, nec repugnemus ei, etiamſi cogitationi abſurdum videatur, ſuperetque ingenium & rationem noſtram. Nam verbis eius defraudare non poſſumus. At ſenſus deceptu eſt facillimus. Quia

2.

Homil 5. de Paſcha.

Catecheſi Myſtagog. 4.

Homil. 83. in Matth.

igitur ille dixit, Hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate fratres. Itē Ambrosius: Quantis vtimur exemplis, non esse quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit? De totius mundi operibus legistis, quia ipse dixit & facta sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit de nihilo facere quod non erat, nō poterit ea quæ sunt mutare in id quod nō erant. Liquet quod prēter naturę ordinem semel Virgo generauit: Et hoc quod facimus, corpus ex Virgine est. Quid hîc quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cuius partus fuit ex Virgine cōtra naturę ordinē? Congruit cum hoc Ambrosij loco illa sententia Damasceni: Si modum quæris, sit tibi idem respōsum, quod datum est Virgini; quoniam ex Spiritu sancto est. Huc & pertinent verba Augustini suprà citata, quibus tātoperè fidem Petri de hoc mysterio prædicauit: Videte, inquit, quemadmodum Petrus DANTE DEO, recreante Spiritu sancto intellexit &c. III. Neq; sanè Patres in iis & aliis locis vsq; adeò mirabile mysterium hoc esse censuissent, nisi pro certo habuissent corporis & sanguinis Christi præsentiā. IIII. Atq; id etiam manifestè quoq; cōuincitur ex elegantissimis quibusdam annotationibus atq; etiam amplificationibus, loquutionibusque argutis, quibus in hoc mysterio commendando vtuntur. Quæ profectò sunt eiusmodi vt censeri possint admodum ineptæ, si nō illi planè intellexerunt, corpus Christi & sanguinem Christi reipsa hîc adesse, sed in sui tātùm figura & Symbolo. Tale in primis est, quod D. Augustinus tractans locum, vbi iuxta 70. legimus de Dauide: Ferebatur in manib⁹ suis, ita inquit: Hoc fratres, quomodo possit fieri in homine, quis intelligat? Quis enim portatur in manibus suis? Manibus alienis potest portari homo: Manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso Dauide secūdùm LITERAM non inuenimus: In Christo aūt INVENIMVS. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans

De iis qui myst. enarrant ca. 9.

Lib. 4 cap. 14.

Tract. 27. in Ioan. Vide & Hilar. lib. 2. de Trinit.

3.

Cyril. Alex. li. 4. in Ioan. cap. 23. Rabba. l. de corpore et sang. Domini cap. 34. Paschasium lib. de corp. & sang. Domini cap. 10. Item Vide de cōfe. d. 2 can. Verū sub figura.

In Psalm. 33. cōcione 1. & Reg. 21.

dans ipsum corpus suum ait: Hoc est corpus meum. Ferebat cũ illud corpus in manibus suis. Quid hac obsecro D. Augustini oratione vel luculentius atq; elegantius dici potuit, si Christus re ipsa in Sacramento præsens est; vel absurdius atq; ineptius, si Sacramẽtum est tantùm Chtisti figura & Symbolum? An enim est quisquam, qui Symbolum sui aut effigiem suis ipse manibus gestare non possit? Quid verò Chrysostomus? Parentes, inquit, aliis sæpe filios tradunt alendos. Ego autem non ita, sed carnibus meis alo, & meipsum vobis appono. Tum alibi: Quod nunc dicunt, vellem ipsius formam aspicere, figuram, vestimenta, calceamenta: Ecce cum vides, ipsum tangis, ipsum manducas. Et tu quidem vestimenta videre cupis, ipse autem tibi concedit, non tantùm videre, verùm & manducare & tangere, & intra te sumere. Atque etiam ibidem: Quis, inquit, loquetur potentias Domini, audiras faciet omnes laudes eius? Quis pastor oues proprio pascit cruore? Et quid dico pastor? Matres multæ sunt, quæ post partus dolores, filios aliis tradunt nutricibus. Hoc autem ipse non est passus, sed ipse nos proprio sanguine pascit, & per omnia nos sibi coagmentat. Et illud in eodem genere præclarè. Helias melotem discipulo reliquit: Filius autem Dei, ascendens in cœlum suam nobis carnem dimisit. Sed Helias quidem exutus: Christvs autem & nobis reliquit, & ipsam habens ascendit. Hæc & similia, quæ passim in libris occurrunt sanctorum Patrum, quis non videt inanissimè dici, nisi reuera habeamus in Sacramento, & ore quoq; sumamus corpus & sanguinẽ Christi? V. Quid quòd etiã affirmant ipsum Christum in postrema cœna edisse in Sacramento suum corpus & bibisse suum sanguinem? An & hic Patres Zvvinglianam vel Caluinianam tantùm sumptionem, id est gratiæ cõmunicationem per efficacitatem corporis & sanguinis Christi intellexerũt?

NOTA

Homil. 83. in Matth.

Homil. 60. ad popul.

Homil. 45. in 2. annum.

Homil. 2. ad pop. Antioch.

NOTA

An

An Christi corpus vel sanguis efficiens fuit causa, vllius gratiæ Christi? Aut verò quidquam potuit gratiæ de nouo haurire idem ipse, qui fons fuit ab initio gratiæ plenissimus & inexhaustus? Sed audiamus Chrysostomum: Ne turbarentur, inquit, Apostoli, primùm ipse suum sanguinem bibit. Tum Hieronymus ad Hedibiam: Non Moyses, inquit, dedit nobis panem verum; sed Dominus IESVS ipse conuiua & conuiuium, ipse comedens, & qui comeditur. VI. Iam verò cùm affirmant Patres (affirmant autem id perspicuè multi, vt alibi docuimus) Christum sese in pane & vino incruentè sacrificauisse, certè vanè atque futiliter id affirmant, si non ipsum victimam fuisse, quæ tunc præsens in pane & vino sacrificaretur, existimauerunt. VII. Atque vt semel id finiam, quod non nisi summatim dicere statueram, quî præcepissent adorari Christum in Eucharistia, vel adorari Eucharistiam, propter Christum in Eucharistia existentem, nisi præsentē Christum in Eucharistia esse sensissent?

Homil. 83 in Matth.

Ad quæst. 2. Hedibia.

6.

Intra 7. de sacrif. Missa cap. 4. & 5.

7.

Vide Aug. epist. 120. Ambro. lib. 3. de Spir sanct. cap. 12. Chrysostom. Homel. 24. in 1. ad Corint. Cyrill. Hierosolymitan. Cath. Mystag. 5. &c.

Quæ cùm ita sint, cur non potiùs tam multis, tam firmis, tam claris rationibus; & sermonis Christi, scripturæque adeò circumstantiis; & natura propria mysterij; & sententia Patrum mouebimur, vt præsentiam corporis & sanguinis Christi in Sacramēto, cum vniuersa Christi Ecclesia credamus, quàm nugis Sectariorum, & ratiunculis de humano ingenio conficțis vt Capernaitico spiritu quæramus, quomodo ibi esse possit, negemusque illum ibi esse? At ipse, inquiunt, se mundum hunc relinquere testatus est, negauitq; fore, vt nobiscum ipsum præsentem in Sacramento haberemus. Prorsus ita dixit, sed non ob id contradixit verbis illis suis clarissimis & certissimis, quibus dixit: Hoc est corpus meum, Et, Hic meus est sanguis. Hæc verba testamentaria sunt, ex quibus illa alia meritò sic interpretamur, vt intelligantur de ordinario modo quo tunc in mundo erat, cùm se

non

non in mundo mansurum esse dicebat, hoc est, aspectabiliter & extra Sacramentum. Hoc modo iam in mundo non est, & quia sic futurus in mundo non erat, absolutè dixit se non mansurum in mundo: quamquàm vno modo, videlicet in Sacramẽto, mansurus vtiq; erat. Sic, licet post resurrectionem suã in mundo alio quodã modo versaretur; tamen quia tunc in mundo non ita erat, quomodo antè erat; non esse se adhuc in mundo simpliciter significabat, cùm dicebat: Hæc sunt verba quæ locutus sum vobis, cùm adhuc essem vobiscum. Subaudimus enim hîc, iam autem non sum. An verò tunc non erat etiam cum illis, cùm per quadraginta dies in multis argumentis apparebat eis. Erat videlicet & non erat. Erat impatibilis, non erat patibilis, quo pacto mundum se dixit relicturum. Hinc Augustinus: Quid est inquit, Ad patrem vado, & iam non videbitis me? Nisi quomodo sum, cũ vobiscum sum. Tum enim adhuc erat mortalis, in similitudinem carnis peccati, qui esurire poterat & sitire. Hunc ergò Christum, id est talem Christum, cùm transisset de hoc mũdo ad patrem, non erant iam visuri. Neq; verò hîc similiter licere sibi putent Vbiquistæ loca interpretari, quibus suprà propter planum litteræ sensum conuicimus Christi absentiam realem à locis aliquibus. Illi enim, vt excipiant in eiusmodi locis præsentiam illam maiestatis à se confictam, non idem, imò nullum prorsus ius habent. Nos autem vt in locis, quibus Christus se mundum relicturum dixit, excipiamus præsentiam duntaxat Sacramentalem, rationes firmissimas habemus. Nam vt suprà conuicimus, mysterium illi nobis ad eam interpretationem obiiciunt à seculis non auditum, cõmentitium totum, sine probatione, sine teste, sine firmo argumento. Nos verò contra Sacramentarios in hac nostra exceptione responsioneque, mysterio fidei nitimur verissimo, probatissimo, testatissimo, vt probauimus & verbis

Luc. 24.

Actor. 1.

Tract. 94. & 95 in Ioann.

bisipsis, quæ processerunt ex ore Dei, & scripturæ certissimis circumstantiis & argumentis, ac rationibus firmis, & asseueratione totius antiquitatis. Quare facessat aliquando tandem vtraque factio, desinantque Vbiquetarij sine fundamẽto Christum vbique collocare; atque etiam Sacramentarij desinant illum item sine fundamento in cœlo tantùm includere; tum vtrique dent gloriam Deo, & cum Ecclesia Catholica, relictis erroribus extremis, consistant in medio, atque sentiãt Christum vt hominem, neq; in cœlo tantùm, neq; vbique locorum; sed in cœlo, & in sanctissimo Sacramento præsentem adesse. Cui sit laus & gloria per infinita seculorum secula Amen.

Laus Deo & beatissimæ virgini Dominæ nostræ.

Tractatum hunc, contra fundamenta duarum Sectarum, Vbiquetariæ & Sacramentariæ &c. tanquàm eruditum, & orthodoxæ fidei per omnia consentaneum, ad Christi gloriam, & Ecclesiæ Catholicæ vtilitatem, typis mandandum censeo

Albertus Hungerus, S. Theologiæ Doctor, Professor, & Procancellarius in Academia Ingolstadiana.

ERRATA.

Folio 9 lin. 16. pro, dissertis, lege disertis. Fol. 14. linea 3. pro, et le. &c. Fol. 44 lin. 26. pro dissertè, le. diserte. Fol. 14. lin. vlt. pro, TOTARES, le. TOTA RES. Fol. 16. lin. 29. initio, le. neq; & lin. 31 init. le. pari. Fol. 21. lin. 1. pro, olùm, le. solùm. Fol. 42. lin. 8. pro, sæculum, leg seculum Fol. 45. lin 22. pro vtrunque le. vtrumq; Fol. 75. lin. 18. pro, no sostenderet. le. nos ostenderet. Fol. 78 in margine, lin. 10. & 11. le. de corpore. Fol. 79. lin. 6. in margine le. Ioannem. Fol. 48. liv. 6. in margine, le. lib. 9.

INDEX

INDEX RERVM PRÆCIPVARVM in hac disputatione.

A.

ABsurda Vbiquetaria in interpretatione scripturæ sacræ contra ipsos allata. folio 43. & corruptione testimoniorum antiquorum ex Patribus. folio 44. &c.

Aduersarij defendere nequeunt articulum de Christi morte & passione, nisi vbiquitatis fundamentum abiiciant. fol. 19

Aduersariorum assertio examinatur fol. 22. cuius alteruter debet esse sensus, & ambo contra ipsos. fol. 23

Aduersariorum argumenta pro opinione sua ex ratione petita. fol. 35. &c. & alia pro vbiquitate Christi, refelluntur. fol. 44. &c.

Aduersariorum improbissima calumnia, cùm obiiciũt Catholicis opinionẽ Alcoranicã de Christo. fo. 50

Anima vel Angelus vnus possent in diuulsis etiam procul partibus existere simul, virtute diuina. fol. 65

Argumentum Sacramentariorum, quòd Christus vno tantùm in loco sit præsens, confatatur. fol. 67

Item aliud contra Christi præsentiam in Sacramẽto elenatur fol. 80. &c.

Argumenta contra Vbiquetariorum commentum de vnione hypostatica in Christo. fol. 11. &c. & contra vbiquitatem Christi. fol 41

Attributa diuina omnia nõ sunt eiusmodi, vt possint haberi, & tamẽ nõ vsurpari. id declaratur. fol. 17. etc.

D. Augustinus quomodò neget, Christi corpus vbiq; esse. fol. 41

B.

Beati homines erũt immortales et impassibiles, gratuito Dei beneficio & dono, post cõmunẽ resurrect. fol. 16

C.

Cœli cõmẽtitij Vbiquetariorũ. fol. 43

Caluini cõmentũ de exitu Christi è sepulchro clauso, & ianuis clausis ad discipulos ingressu redarguitur. 60

Christi humanitas quomodò verè habeat vbiquitatẽ, omnipotentiã, & reliqua diuina attributa. fol. 8

Christi humanitas à seipsa facta, & ante seipsam extitit, secũdùm Vbiquetarios. fol. 15

Christum neq; passum, neq; mortuum, aut sepultũ esse, iuxta nouum Symbolum Vbiquetariorum. fol. 16. &c.

Christus dum hìc viueret, si immortalis fuit, non potuit immortalitate non vti. fol. 18. 20

Christo eidem quomodò sint tribuẽda diuina & humana. fol. 29

Christi humanitati quomodo sit communicata realiter diuinitatis plenitudo. fol. 5. 6. secundùm testimonia scripturæ & Patrũ. fol 32. 33

Christo post resurrectionem esse datã potestatẽ & gloriã diuinitatis quomodò significet scriptura sacra. 32

Christus secundũ humanitatẽ accepit, quæcũq; accepit ex tẽpore. fol. 33

Christus quomodo habeat virtutẽ vi-
nificandi, edatq; miracula etiam
nunc. fol. 34
Christi corpus vbiq; esse quomodo ne-
get August. fol. 41. Eiusdem Chri-
sti corporis vbiquitas refutatur ex
scriptura sacra & Patribus. fol. 42
peculiariter ex D. Augu. fol. 45
Christi humanitatẽ esse, vbicunq; sit
persona, vel subsistẽtia Verbi, quo-
modò probent & confutentur ad-
uersarij. fol. 45. &c.
Christus quomodò impleuerit omnia,
& sedeat ad dexterã Dei. fo. 48. etc.
Christi hominis maiestas qualis reue-
ra sit. fol. 51
Christum post ascensionem nunquàm
abfuisse à cœlo. fol. 55. 56. Eundem
post ascensionem aliquando fuisse
in terra, & verè ac cominus visum
ab Apostolo Paulo. fol. 56. &c.
Christũ de vera sua carne edẽda, san-
guineq; bibendo per Sacramẽtum,
& non in figura ac signo tantùm,
apud Ioan. 6. cap. esse locutum, vn-
de nam constet. fol. 68. &c.
Christus quomodò & ad quid com-
paret carnem suam cum manna
Ioan. 6. fol. 70
Christum nobis adesse in Sacramẽto,
duplex ratio persuadet, infinita vi-
delicet charitas eius, & commodũ
nostrum spirituale. fol. 74. &c.
Christi præsentia in Sacramento, pba-
tur ex Patribus, multis argumen-
tis. 76. &c.
Christũ in postrema cœna verè sum
corpus edisse, & sanguinem bibis-
se. fol. 79. 80.
Christi verba, quibus se mundum re-
linquere testatus est, quomodò in-
telligenda, & quomodo post resur-
rectionẽm suam erat, & nunc etiã
sit in mundo, vel non. fol. 80. &c.
Circũstantia quæ nã significent, Chri-
sti verba propriè significâsse quod
sonant, quãdo dicebat; hoc est cor-
pus meũ; & ratio eiusdẽ. fol. 70. 71.
Corpus aliquod sicut per potentiã Dei
absolutã posset esse in pluribus, ita
etiam in omnibus locis. fol. 40
Corpus aliquod in pluribus locis quo-
modò esse nequeat virtute diuina,
& quomodò posit? fol. 54
Corpus vnum in variis locis esse posse,
probatur ex scriptura fol. 55. &c.
& ex Patribus fol. 61. Tie ratione.
fol. 62. &c. Tiẽ posse nullis loco præ-
sens esse, virtute diuina. fol. 63. nec
contradicit Augustin. fol. 65
Corpore non multiplicato, posset diui-
na virtute multiplicari accidens
præsentiæ in corpore. fol. 63. &c.

D.

Deus cur facere posit, quæcunq; non
implicant contradictionẽ. fol. 63
Diuinitatis plenitudinem realiter cõ-
municatam esse naturæ assumptæ,
quomodò dici posit. fol. 5. 6. secun-
dùm modos loquendi scripturæ, &
Patrum. fol. 32. &c. Error aduer-
sariorum in eodem. fol. 68. &c.
Diuinitatis potestatem & maiesta-
tem Christo post resurrectionem
esse

esse tributam, quomodò significet scriptura sacra. fol.32
Diuinitus aliqua fieri posse, quomodò statuendum & credendũ sit fol.66
Doctores Scholastici & orthodoxi nõ negant omnem cõmunicationem realẽ energiæ ac plenitudinis Verbi diuini cũ assumpta natura. fol.6.

E.

Ecclesia Catholica sentit, Christũ Dominum in cœlis, & in diuinissimo Sacramento humanitate sua adesse præsentem. fol.1
Ecclesia quid de vnitate hypostatica in Christo sentiat. fol.29
Error aduersariorum de cõmunicatione reali plenitudinis diuinitatis cum assumpta natura. fol.6

F.

Filius Dei quomodò sit vbique homo. fol.47
Formã argumentãdi Sacramẽtariorũ plura absurda sequuntur fol.67

G.

Gratia vnionis hypostaticæ in Christo qualis. fol.6

H.

Humana Christi attributa non eodẽ modo esse communicata diuinitati per vnionẽ hypostaticam, quo sunt humanitati communicata diuina secundùm Vbiquetarios. fol.3
Humanitas Christi quomodò verè habeat vbiquitatẽ, omnipotentiã, & reliqua diuina attributa. fol.8.23
Humanitas Christi a seipsa facta, & & ante seipsam extitit, secundùm Vbiquetarios. fol.15
Humanitati Christi quomodò sit cõmunicata realiter diuinitatis plenitudo. fol.5.6. secundùm testimonia scripturæ & Patrũ. fol.32.33
Humanitatem Christi esse vbicunq; sit persona vel subsistentia Verbi, quomodò probent, & confutentur aduersarij. fol.45.&c.

I.

Idiomatum vtriusq; naturæ in Christo communicatio vnde orta, qualis, & ad quid referenda sit. fol.29. ostenditur ex Patribus. fol.30. Et quomodò illa sit realis, non verbalis tantùm. fol.36
Intellectio hominis quomodò dependeat à phantasia. fol.38

L.

Locum vnum continere posse, adeoq; continuisse diuersa corpora, quorum alterum ipsum cõpleret, probatur ex scripturis. fol.59.&c.

M.

Maiestas Christi hominis qualis reuera sit. fol.51
Mysteria diuina quatenus sint ineffabilia. fol.21
Mysterium Eucharistiæ singulare ac distinctum à cæteris esse, quare & vnde nam intelligatur. fol.72.&c.

O.

Opinio Vbiquetariorũ multis modis iã olim est condemnata. fol.26
Omnipræsentia vel vbiquitas quenã

soli Deo conueniat, & quomodò creatura. fol. 40

P.

Patres quomodò tribuant diuina ipsi assumptæ naturæ. fol. 33
Patres quomodò senserint vbiquitatẽ esse Dei propriam. fol. 40
Patres antiquos Christi præsentiam in Sacramento prorsus credidisse, multis argumentis ostenditur. folio 76. &c.
Paulum Apostolum verè ac cominus vidisse Christum post ascensionem eius. fol. 56. &c.
Paulus Apostolus præsentiam realem corporis et sanguinis Domini vbique nobis commendat. fol. 71. 72
Personalitas nostra cur sit, vbicunq; est natura nostra, & corpus vbicunq; est anima. fol. 46
Præsentia corporis multiplicari potest diuina virtute, non multiplicato corpore. fol. 63. &c.
Præsentia Sacramentalis Christi in pluribus locis ponitur inter dotes corporis eius sublimiores, quas per diuinam habuit virtutẽ. fol. 67
Præsentia Christi in Sacramento, & proprietas verborum eius in illius institutione probatur. fol. 68. &c.
Propositionum istarum: hic homo (demonstrato Christo) est persona diuina, Deus, omnipotens, infinitus, vbique præsens &c. quis sensus secundùm Vbiquetarios. fol. 3. 9. Et quomodo sint inepti loquendi modi, aut veri. fol. 7.

R.

Rationes Sacramentariorum contrà Christi præsentiam in Sacramento. fol. 52
Regula loquendi et sentiendi de Christo, vt Deus & homo est. fol. 30. &c.
Relatio bina æqualitatis ad alterum æquale posset in eodem esse subiecto, secundùm aliquos. fol. 64
Res omnes quomodò sustententur à Verbo diuino. fol. 33

S.

Sacramentarij hæretici contendunt, Christum in cœlis tantùm adesse, eorumq; pro hac causa sua præsidium & argumentum. fol. 1
Sacramentariorum duæ rationes cõtra Christi præsentiã in Sacramẽto. fol. 52. Eorundem arrogantia & temeritas. fol. 53
Sacramentariorũ argumentandi formã plura absurda sequũtur. fol. 67
Sacramentum Eucharistiæ singulare distinctũq; à cæteris mysteriis fidei esse, propter realẽ Christi præsentiã, quare et vnde nã intelligatur fo. 72
Sacramentarij non faciunt difficultatem aliquam peculiarem in mysterio Eucharistiæ. fol 73. 74
Scriptura loci quinam proprie intelligendi. fol. 41
Scriptura loci quidam de præsentia Christi explicantur, male intellecti ab aduersariis. fol. 43. &c.

T.

Testimonia, quibus abutuntur aduersarij

ſarij aliquo ex quatuor modis intelligi poſſunt. fol.31

V

Vbiquetarij haretici cõtendũt, Chriſtum adeſſe vbiq; eorumq; pro hac cauſa ſua præſidium & argumentum. fol.1.39.

Vbiquetariorum ſententia de vnione hypoſtatica in Chriſto, eiusdemq; vnionis deſcriptio ſecundùm illos, & vnde colligatur. fol.2.3.

Vbiquetariorum duo præcipua refugia, pro refellendis argumẽtis, quibus oppugnantur. fol.4.10.

Vbiquetariorum errorem non tantũ eſſe in modo loquendi, ſed in re atq; ſententia etiam. Id oſtenditur aliquot argumẽtis. fol.7 &c.

Vbiquetariorum loquendi modus de vnione hypoſtatica in Chriſto, ſi ſenſum alioqui verum haberet, ne ſecundùm apparentiam quidẽ poſſent inde colligere vbiquitatẽ fol.8

Vbiquetarij quid ſentiant de his propoſitionibus; Chriſtus hõmo eſt Deus, omnipotens, vbique præſens &c. fol.3.9. quomodo ſentiant plenitudinem diuinitatis Verbi realiter communicatam eſſe naturæ aſſumptæ fol.9. Et qualem vnitatem & identitatem humanitatis Chriſti cum diuinis attributis effingant. fol.10.

Vbiquetariorum commentum de vnione hypoſtatica in Chriſto refellitur argumentis. fol.11. &c. Eorundem opinio quomodo damnata ſit in Concilio Calcedonenſi. fol.11. Et multis aliis modis iam olim. fol.26. &c.

Vbiquetarij non ſatis reſpondent ad Conciliũ Calced. fol.12. Et quomodo incidant in contradictionẽ fol.13. Et in abſurda. fol.14. &c. Et quidem in vnum eorum ineffabile. fol.15. Diuina & humana natura Chriſtum exſpoliãt. fol.14.

Vbiquetariorum infirmum & miſerum perfugium, de quorundã attributorũ diuinorum vſu in Chriſto Domino fol.17. 19.

Vbiquetarij docent repugnantia, ut extricare ſeſe nõ poſſint; nec habet vllum exitum eorum opinio. fol.20. &c. Examinatur eorum aſſertio fol.22. cuius alteruter debet eſſe ſenſus, & ãbo cõtra ipſos: fol.23. &c.

Vbiquetarij quomodo fruſtra laborãſſẽt & de verbis tantùm incauti & imprudentes certãſſent pro opinione ſua. fol.23. &c. Idem neque explicare, neque defendere ſententiam ſuam poſſunt. fol.24. Et quomodo ponant, diuinitatem ineffabiliter eſſe paſſam; aut alioqui ineptè ac temerè loquantur. fol.25. Eorum teſtimonia, quibus abutuntur, aliquo ex quatuor modis intelligi poſſunt. fol.31. Item argumenta ex ratione petita. fol.35. &c. Et alia pro vbiquitate refutantur. fol.44. &c.

Vbiquetarij falsè explicant vnionem hypo-

hypostaticam in Christo per æqualitatem maiestatis. fol. 26. &c. neq; declarant, quomodo ex vnione cõstituta sit vna persona. fol. 27.

Vbiquitas quanã conueniat soli Deo, & quæ creaturæ fol. 40

Vbiquitas Christi peculiariter refutatur, ex scriptura, & Patribus fo. 42. præsertim ex August. fol. 45. Et quàm interpretẽtur aduersarij locos illos absurdè. fol. 42. &c.

Verbum diuinum quomodo sustentet naturam assumptam; non item res alias. fol. 35.

Verbum diuinum suscepit omnes proprietates corporis naturalis, sed tamen non perpetuò retinuit, quicquid earum est prorsus. fol. 67

Vnio animæ & corporis quatenus vnioni hypostaticæ in Christo sit similis, nec quicquã suffragetur aduersariis. fol. 37. &c.

Vnitas absolutè, vel vnitas finita & creata non obstat præsentiæ corporis vnius in pluribus locis. folio 64. &c.

FINIS.

Hunc libellum in amicitiæ [illegible]
symbolum quondam [illegible]
symbolum Catarabias suæ [illegible]
q. d. nuper Joann: Pistorius [illegible]
duc: Bojarorum consiliarius [illegible]